Clauss, Rudolf
Quaestiones criticae
Juvenalianae

A
448
Z5C5

# QUAESTIONES CRITICAE IUVENALIANAE

---

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

**RUDOLF CLAUSS**

**LIPSIAE**

TYPIS ROBERTI NOSKE BORNENSIS

MCMXII.

PA
6448
Z5C5

Rettulerunt ad ordinis philologos de hac dissertatione
Heinze et Lipsius.

Lipsiae, a. d. III. Non. Dec. MCMXII.

Procancellario
Le Blanc.

LIBRARY
JUL 4 1961
UNIVERSITY OF TORONTO
761315

ERNESTO ROBERTO BERGER

FAMILIARI CARISSIMO

S.

# Tabula argumenti.

pag.

Praefatio . . . . . 7

I. De versibus qui in vulgata saturarum recensione desunt in textu reponendis . . . . . 10

1. De VI. sat. versibus 365, 1—34 . . . . . 10
2. De VI. sat. versibus 373 a—b . . . . . 32
3. De VI. sat. versibus 614 a—c . . . . . 33

II. Locorum interpretatio VI 558—559; VIII 1—9; 121—124; IX 5; XI 162—170 . . . . . 40

1. De VI. sat. versibus 558—559 . . . . . 40
2. De VIII. sat. versibus 1—9 . . . . . 46
3. De VIII. sat. versibus 121—124 . . . . . 56
4. De IX. sat. versu 5 . . . . . 57
5. De XI. sat. versibus 162—170 . . . . . 59

III. De lacunis et interpolationibus . . . . . 62

1. De lacunis . . . . . 62
   ⟨De IX. sat. versibus 130—134 a⟩ . . . . . 62
2. De interpolationibus . . . . . 64
   ⟨De IX. sat. versibus 118—123⟩ . . . . . 67

Iuvenalis saturas abundare difficultatibus satis notum est. Saepe in singulorum locorum haeremus interpretatione, nec non difficile videtur universarum saturarum compositionem mente comprehendere. Summa enim compositionis incuria saturas condidisse Iuvenalem evidenter apparet. Nam saepissime a proposito aberrat, sententiarum interrumpit conexum, quas modo protulit sententias verbis tantum mutatis repetit. Qua de scribendi ratione Iuvenaliana non semper viri docti recte iudicaverunt, sed saepe versus spurios arbitrati sunt ideoque eiecerunt, saepe sententiarum conexum inverterunt. Quo in numero maxime insignis est Ribbeckius,[1]) cum quarundam saturarum Iuvenalem esse auctorem negaverit. Tum vero opinio est prolata duplicis recensionis quae vocatur vestigia in saturis subesse. Affirmant huius opinionis auctores retractasse Iuvenalem saturas, locos quosdam oppressos novis versibus supplevisse. Scribarum vel editorum incuria versus oppressos substitutosque inter se coniunctos in textum receptos esse. Quae est Teuffelii opinio, quam proposuit in libro eo cuius est titulus: 'Studien und Charakteristiken zur Literaturgeschichte'. Ribbeckii Teuffeliique sententiae multis placuerunt viris doctis; dissenserunt alii affirmantes eam textus speciem in codicibus exstare, quam Iuvenalis ipse publici fecisset iuris. Quae tandem superior discessit opinio Buechelero, Friedlaendero, Vahleno viris de Iuvenale egregie meritis probata.

Iam vero redintegratae sunt dubitationes novis nuper versibus in Bodleianae bibliothecae codice inventis. Quo in codice post VI. sat. v. 365 triginta quattuor versus sunt inserti, post v. 373 duo exstant, hi quoque adhuc ignoti. Quaerendum igitur est, utrum Iuvenalis sint an subditivi, nam minime in ea quaestione viri docti consentiunt, et utrum suo loco sint positi an transponendi, si genuinos esse censebimus, nam haec quoque res in dubium est vocata. Quoniam vero sextae saturae versus 346—348 congruunt fere cum fragmenti versibus 29—34 re vera iam adest duplex illa textus forma Vahleno, Buechelero reprobata. Itaque denuo compluribus saturarum locis duplicis textus formae

---

[1]) ed. 1859. Der echte und der unechte Juvenal 1865.

exstare indicia contendit Leo ⟨Herm. 44, 1909 p. 600 ss.⟩. Censet vir doctus ipsum Iuvenalem quattuor saturarum libros in lucem emisisse, quintum librum imperfectum post eius mortem editum esse. Priorum librorum saturas retractasse Iuvenalem, complures locos oppressisse novosque substituisse versus. Cum quinto igitur libro retractatas has saturas editas esse. Quam editionem contineri codicibus, quoniam vero non plane interierit editio princeps factum esse, ut huius editionis loci quidam in posteriorem reciperentur. Quorum complures ipsos addidisse editores, alios postea insertos esse. Neque vero satis habuit Leo duplicem saturarum posuisse formam, sed etiam insertis aliquot versibus spuriis depravatas esse saturas sibi persuasit. Owenio vero, qui paulo ante Leonis studia saturas emendavit, de duplici forma et interpolatis versibus nihil constat; immo vero non dubitat praeter Oxoniensia additamenta alios quoque versus in textu ponere, qui pari modo in vulgata recensione desunt, ideoque subditivi habentur ⟨VI 126, 614 a. b. c.⟩. Contra Housmanus acerrima usus crisi in saturarum editione, quam 'in usum editorum' destinavit multos versus uncis circumscripsit, aliquot locis lacunas in textu exstare censuit. Quoniam igitur adeo inter se dissentiunt viri docti, denuo qua conditione ad nos pervenerint saturae inquirendum videtur.

Itaque hoc libello de duplici saturarum forma quam statuit Leo proponam commentationem. Nam mihi persuasi Leonis opinionem stare non posse, difficultates, quae nuper ortae sunt, alia ratione expediendas esse. Locos ergo in quibus offendit Leo retractavi et explanare sum conatus; necessarium videbatur ei inquisitioni subiungere alteram, qua egi de lacunis et versibus qui nuper suspecti visi sunt viris doctis. Quoniam vero admodum inter se differunt loci quos scrutatus sum, tria disputationis feci capita, quorum primo egi de versibus, qui in vulgata recensione desunt; tertio disserendum erat de lacunis et interpolationibus; altero capite reliquos complexus sum locos.

Praemittam earum commentationum et librorum conspectum, quibus praecipue usus sum in conscribendo hoc libello.

Winstedt: Classical Review XIII 1899 p. 201. A Bodleian M. S. of Iuvenal.

Postgate: Class. Rev. XIII p. 206 p. 266. On the new fragments of Juvenal.

Buecheler: Rhein. Mus. 54 1899 p. 484. Der echte und der unechte Juvenal.

v. Winterfeld: Berlin. Philol. Wochenschrift XIX 1899 p. 793. Zu den Oxforder Juvenalversen. Id. Gött. Gel. Anz. XI 1899 p. 895 ss.

Maas: Archiv für Lexikographie XI 1900 p. 419. Die neuen Juvenalverse.

Wilson: American Journal of Philol. XXII p. 268 ss.

Leo: Hermes 44 1909 p. 600 ss. Doppelfassungen bei Juvenal. Id. Herm. 45 1910 p. 43 ss. Zum Text des Persius und Juvenal.

Nougaret: Mélanges Chatelain 1910 p. 255 ss. Omission du fragment Winstedt.

Commentarii et editiones praesto fuerunt: Achaintrii, Heinrichii, Iahnii, Weidneri, Friedlaenderi, Mayori, Buecheleri, Owenii, Housmani, Leonis.

Reliquas commentationes suo quamque loco memorabo.

Caput I.

# De versibus qui in vulgata saturarum recensione desunt in textu reponendis.

## 1.

Praeter additamenta Bodleiana prima hac commentationis parte ii considerandi sunt versus, qui post VI. sat. v. 614 sunt inserti.

De Oxoniensi fragmento maiore admodum scrupulosum videtur iudicium, quod difficile est intellectu. De singulorum locorum explicatione bene meriti sunt Postgatius, Maasius, Housmanus, alii, itaque non videtur necessarium versus perpetua persequi interpretatione; ea proferam, quae ad universi fragmenti pertinent compositionem, praeterea ii examinandi sunt loci, quos iusta interpretatione adhuc carere mihi persuasi. Haud inutile videtur quomodo intelligenda censeam poetae verba versione Germanica demonstrare.[1]) Versionis fundamentum Leonis est recensio, quam rectam esse omnibus fere locis mihi constat.

In jedem Hause, in dem jemand lebt und sein Spiel treibt, der der Unzucht sich ergeben hat und dessen zitternde Rechte alles mögliche verspricht, wirst du alle ⟨Hausgenossen⟩ moralisch vergiftet und den Cinaeden ähnlich finden. Diesen gestatten sie ⟨uxores⟩ die Speisen zu berühren und an dem ehrwürdigen Tische zu sitzen und lassen die Trinkgefäße abwaschen, anstatt sie zu zerbrechen, wenn [die ekelhaften Lippen der Cinaeden sie berührt haben.] ⟨ad verbum versus non potest verti⟩. Sittlich reiner also und besser als dein Haus ist das des Fechtmeisters, in dessen Schar Psyllus sich weit zu entfernen hat von Euhoplius. — Was sagst du dazu, daß weder die Netze zu der entehrenden Tunica gelegt werden, noch in derselben Zelle die Schulterbekleidung und den Dreizack, der des Feindes Wehr trifft, ablegt derjenige, der in leichter Kleidung zu kämpfen gewohnt ist? — Solche Seelen nimmt der äußerste Winkel der Kaserne auf und im Kerker werden sie in Sonderhaft gehalten. Aber

[1]) Maasius locum vertit (l. l.), non tamen ad verbum expressit, nec videtur omnibus locis poetae sententias plane perspexisse.

deine Gattin läßt dich aus demselben Becher trinken wie jene, mit denen Albaner- oder Surrentinerwein zu nippen die blonde Dirne, die am verfallenen Grabmal ihr Wesen treibt, sich weigern würde. Nach deren Ratschlägen heiraten sie und stehen plötzlich wieder von der Ehe ab, von ihnen lassen sie sich über flaue Stunden hinweghelfen, mit ihnen besprechen sie ihre ernsthaften Angelegenheiten, ihrer bedienen sie sich als Lehrmeister um unzüchtige Bewegungen zu lernen und was sonst noch derjenige versteht, der sie unterrichtet. Freilich darf man diesem ⟨qui docet⟩ nicht immer Vertrauen schenken: ein Ehebrecher ist derjenige, der sich die Augen mit Glanzschwärze malt, saffranfarbene Gewänder anlegt und ein Haarnetz trägt. Verdächtig muß er dir sein, je weichlicher seine Stimme ist und je öfter seine rechte Hand haftet an seinen zarten Lenden. Der wird im Bette der tüchtigste sein; dort legt Thais die Maske ab, die der kunstgeübte Triphallus dargestellt hat. 'Wen hältst du zum Narren? Mache doch anderen die Komödie vor! Wir wollen die Wette eingehen: Ich behaupte, du bist ein Mann im wahrsten Sinne des Wortes. Ich behaupte es; gibst du es zu, oder sollen die Mägde vor dem Folterer aussagen?' — Ich kenne eure Ratschläge und Ermahnungen, ihr alten Freunde: Schließ die Tür! Sperre sie ⟨uxorem⟩ ein! Aber wer soll die Wächter selbst bewachen, die jetzt die heimlichen Liebschaften der zügellosen jungen Frau um diesen Lohn verschweigen? Ein gemeinsames Vergehen verrät man nicht. Dies berücksichtigt deine Gattin klug im voraus und beginnt mit ihnen ihr Spiel.

v. 1. vivit] Similiter Lucianus (*περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων*) verba adhibet *συνεῖναι, εἰσπηδᾶν εἰς τὰς οἰκίας, παρέρχεσθαι, καταδεχθῆναι* ⟨§§ 4, 7, 20, 33⟩. Convictorem esse cinaedum ex fragmenti versibus elucet 4,14. — luditque] Quomodo se gesserint cinaedi locis probem his: Plin. ep. 9. 17 quia nequaquam me ut inexspectatum delectat, si quid molle a cinaedo profertur. Gloss. V 654, 7 cinaedi qui publice clunem agitant etc. Lucian. l. l. § 33 exeunte: *τὰ οὖν ἄλλα παρ' ὅλην τὴν ὁδὸν μυρίας τὰς ἀηδίας ἀνασχέσθαι ὑπᾴδοντος ⟨κιναίδου⟩ καὶ τερετίζοντος, εἰ δὲ μὴ ἐπεῖχεν αὐτὸς ἴσως ἂν καὶ ὀρχομένου ἐπὶ τῆς ἀπήνης.* Praeterea lascivos motus vel saltationes dare solitos esse cinaedos ex cantione apparet, quam pronuntiat cinaedus apud Petronium (c. 23). Conf. et fragm. v. 19. — professus obscoenum] Pari ratione pronomen 'se' omisit Horatius ep. 1, 18, 2. Conf. Suet. Tib. 35 lenocinium profiteri coeperunt. Ov. Fast. IV, 866 multa professarum quaestibus apta venus. 'Professus obscoenum' a poeta dicitur cinaedus, quod aperte turpitudinem ostentat. Conf. schol. Iuv. sat. II v. 16 qui publice impudicitiam professus est.

v. 2 tremula dextra.] Fortasse conferendi sunt loci: Petron. fragm. XVIII (Buech. ed. 4 p. 112) manu puer loquaci. id. c. 23 manu procaces. Sen. epp. 52, 12 impudicum et incessus ostentit et manus mota. Tremulam manum commemorat Quintilianus (XI 3, 103) a peregrinis scholis tamen prope recepta tremula scenica est ⟨manus⟩.

v. 3. Cum hoc versu comparandus videtur Senecae locus (epp. 7, 7): convictor delicatus paulatim enervat et emollit.

v. 5 permittunt.] Maasius (l. l. p. 422) locum vertit: 'diesen gestatten die Hausherren'. Ex universo vero fragmento apparet subiectum verbi 'permittunt' intelligendum esse uxores non dominos. Conf. v. 17 horum consiliis nubunt. v. 18 his languentem animum servant. v. 19 his clunem atque latus discunt vibrare magistris. Pari modo atque hoc loco multis in 6. sat. locis uxores vel matronae sensu supplendae sunt. Conf. v. 365 non unquam reputant quanti sibi gaudia constent. vv. 309—312, 366—367, alii. In v. 4 uxores intelligendas esse sententiae subiectum, non dominos, vel ex eo elucet, quod versibus 7, 14, 33 ipsum maritum poeta appellat. — et vasa iubent frangenda lavari.] Conf. Mart. XII 74: hoc quoque non nihil est, quod propinabis in istis ⟨poculis vilibus⟩ frangendus fuerit si tibi, Flacce, calix. Quem ad locum Heraldus haec adnotat (Friedl. ed. ad l.): His scyphis poteris propinare et eosdem absque magno damno frangere, si impuri oris homini propinaveris. Conf. et fragm. v. 14 sed tibi communem calicem facit uxor et illis.

v. 6.] Quomodo explicanda sint nomina 'colocyntha' et 'barbata chelidon' non liquet.[1]) Cinaedorum nomina[2]) a poeta afferri Owenius et Iacksonius censent (Class. Rev. XIII p. 267). Neque vero, quin cinaedi his nominibus notentur, dubium est. Antiquos solitos esse obscuris nominibus designare cinaedos ex Petronii apparet loco (c. 24): quaeso, inquam, domina, certe embasicoetan iusseras dari? Complosit illa tenerius manus et 'o' inquit, ... 'quid? tu non intellexeras cinaedum embasicoetan vocari?' (Conf. Athen. 469 a: *τὸ καλούμενον ποτήριον ἐμβασικοίταν* etc.)

vv. 7—13.] Magnae insunt difficultates in versibus 7—13 interpretandis. Quos digressionis ratione finxit poeta comparando privatae domus disciplinam cum ludo gladiatorio. Talis enim fere versuum sensus est: Purior et melior i. e. minus obscenus et turpis ludus est quam domus (v. 7). In privata domo cinaedi

---

[1]) conf. Buecheler l. l.; Maasius l. l.; Housmanus Class. Rev. XIII p. 266.

[2]) conf. Sen. ep. 87, 16 Chelidon unus ex Cleopatrae mollibus. Lucian. de merc. cond. 33 *καὶ τοὔνομα δὲ τοῦ κιναίδου ἀπεμνημόνευε, Χελιδόνιον γὰρ καλεῖσθαι.*

versantur, simili modo cinaedica turpitudo in ludo invenitur. Magnum tamen est discrimen inter domum et ludum. Nam in privata domo gratia florent cinaedi (vv. 4, 5, 14, 17—19), in ludo turpes gladiatores a reliquis separantur (v. 8 longe migrare iubetur Psyllus ab Euhoplio) et in ultimam ludi partem relegantur [1]) (v. 12, 13), neque in vinculis iis licet una esse cum reliquis gladiatoribus condemnatis (v. 13).

Ea ratione intelligendos esse versus inter viros doctos qui de loco egerunt constat, nam reiecta hac interpretatione cur domus cum ludo comparetur non liquet. Nominibus enim quae posuit poeta in versu 9 quin designentur turpis gladiator et egregius non videtur dubium.[2])

Iam vero quae versuum sit sententia 9—12 ambigitur. Postgatius enim censet a poeta non modo turpem gladiatorem et egregium, sed etiam utriusque ornatum componi.[3]) Contra Housmanus ea interpretatione locum penitus non explanari monuit (Class. Rev. XV p. 263 s.) et ipse quomodo intelligenda essent verba: 'quid quod . . . qui nudus pugnare solet' proposuit (ed. ad. l.). Poetam verba facere de retiariis tunicatis (turpi tunicae) et nudis i. e. solo subligaculo indutis (v. 12 nudus). 'Tunicam in retiario pro impudicitiae indicio habitam esse', propterea tunicati retiarii non modo contactum reliquos vitasse, sed ne armatum quidem eadem cella deposuisse. Sed Housmano assentiendum esse nego. Nam etsi sane retiarii subligati in monumentis conspiciuntur, tamen de nudorum et tunicatorum discrimine nihil certo constat.[4]) Immo vero Iuvenalis tunicam appellat vestem retiarii propriam. Conf. II 143 tunicati fuscina Gracchi. VIII 207 credamus tunicae. Nam ex his locis colligendum esse retiarios tunicatos impudicos habitos esse, quod censet Housmanus, non concedo. Neque ulla huius rei exstant testimonia. Praeterea

---

[1]) conf. Sen. nat. quaest. VII 31, 3 alius genitalia excidit, alius in obscenam ludi partem fugit et locatus ad mortem infame † armaturae genus, in quo morbum suum exerceat legit.

[2]) Housmanus scribendum censet: psellus ab euphono (Class. Rev. XIII p. 266) assentientibus Maasio, Owenio; magis placet Leonis nominum scriptura: Psyllus ab Euhoplio, quam firmavit Charisii testimonio. Charis. p. 110, 5: inde effeminati hodieque in ludo syllae dicuntur, quos vulgo imprudenter psyllos (Leo) appellant. ceterum Psylli sunt in Africa serpentibus medentes, sicut in Italia Marsi. — Marsum psylli nomine notari Buecheleri est opinio (conf. Plin. N. H. XXV 123) conf. Rh. M. 54 p. 486 s. . . . hieße es Eupolemo (Leo: Euhoplio), so wäre deutlich ein Gladiator der höheren Waffengattung bezeichnet, welchem der ὀφιοδιώκτης nicht nahen dürfte.

[3]) Class. Rev XIII p. 268 not even (nec) will retiarii associate with the molles among their number (turpi tunicae) and the same idea is carried on in the next line (nec cella ponit eadem etc.: i. e. as the molles).

[4]) conf. Friedl. adn. ad Iuv. sat. VIII v. 207; S.-G. II[8] p. 535.

non est credibile tunicatos retiarios in ultimam ludi partem relegatos esse, quod statuendum videtur probata Housmani interpretatione. Quae cum ita sint de tunicatis et nudis retiariis poetam disserere mihi non constat.

Quodsi respicimus versus 9—12 apparet universum retiarii ornatum a poeta proferri. Duae sunt loci particulae: altera retia non una cum turpi tunica deponi, altera neque reliquum armatum eadem cella (cum tunica: Leo) recondi a retiario (v. 12) enarratur. Arma ergo (retia, munimenta umeri, fuscina) separantur a tunica, quae vocatur turpis. Itaque cur turpem poeta appellet tunicam inquirendum videtur. Neque vero ideo turpis est tunica, quia infames erant gladiatores, ea enim explicatione cur arma separentur a tunica non liquet; sed censeo verbis: 'tunica turpis' significari obsceni gladiatoris vestem. Postquam poeta enarravit in ludo separari turpem gladiatorem ab egregio, vel utriusque ornatum separatim deponi disserit. Neque vero egregii gladiatoris tunicam cum obsceni componit tunica, similique ratione de utriusque agit armis, sed e turpis gladiatoris ornatu vestem eligit, egregii vero retiarii laudat armatum.[1])

Verba igitur: 'quid quod . . . qui nudus pugnare solet' digressioni quae continetur versibus 7—13 sunt inserta ea dicendi ratione, cuius multa in Iuv. saturis inveniuntur testimonia. Postquam poeta Psylli Euhopliique exemplo puriorem esse ludum quam domum demonstravit, statim ludi disciplinam describit eoque modo alterum eius rei quam probat affert argumentum. Nam non satis habet explicasse turpem gladiatorem ab egregio secerni, sed gradatione adhibita vel utriusque ornatum separatim deponi affirmat.

v. 17—19.] His versibus qua consuetudine uxores cum cinaedis coniunctae sint poeta describit. Primo versu cinaedorum consiliis uxores matrimonia contrahere vel matrimonio recedere explicatur. Familiares fuisse cinaedos matronarum amorumque conscios ex XIV. saturae apparet loco (v. 28 ss.) 'conscia matri virgo fuit, nunc hac dictante pusillas implet et ad moechum dat eisdem ferre cinaedis'. Tertio versu de cinaedis lascivorum motuum magistris poeta dicit. Lascivos motus saltationesque dare solitos esse cinaedos supra (adn. ad. vv. 1, 2) exempla contuli. Magna vero difficultas inest in versu 18. Multi viri docti versum interpretari conati sunt;[2]) merito Housmanus nihil effectum esse

---

[1]) conferenda sunt, quae de psyllis explicat Buecheler (l. l.); probata ea nominis interpretatione statuendum est huic vili turpique gladiatorum generi non licuisse una cum reliquis vestitum deponere.

[2]) Maasius locum vertit: für sie bewahren sie das wenige, was ihnen an Seele und Lebensernst geblieben ist.

his explicationibus demonstravit (ed. ad. l.). Neque vero ea explicatio, quam ipse proposuit videtur stare posse. Censet enim scribendum esse: 'his ⟨scilicet magistris⟩ languentem animum solvunt ⟨vel relevant⟩ et seria vitae'. Sed quid sibi velint verba: 'his magistris seria vitae solvunt' vix intelligo; minime mihi persuaserim ita scripsisse poetam Latinum. Praeterea non assentior Housmano censenti pronomen 'his' (v. 18) referendum esse ad vocem 'magistris', quae exstat scripta versu 19 exeunte. Quin dativo casu pronomen sit adhibitum procul videtur dubio. Versum denique corruptela depravatum esse verisimile non est, ubi enim lateat corruptela non apparet. Quae cum ita sint persuasum habeo verbis 'languentem animum' significari temporis et otii molestiam, verbis 'seria vitae' eas intelligendas esse res, quas severe agunt uxores. Videtur igitur v. 18 explicare poeta matronas non solum otii sociis uti cinaedis, sed etiam severas res cum iis communicare.

v. 21—24.] De cinaedorum habitu, vestitu corporis cultu egerunt: Iuv. sat. II, IX. Pollux: Onomasticon VI 126/27. Lucianus *περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων* § 33. Conf. et Clem. Alex. Paedagogus III 3 *πρὸς τοὺς καλλωπιζομένους τῶν ἀνδρῶν.*

v. 26. Thaïs saltata Triphallo.] Per similitudinem Iuvenalis rei scaenicae facit mentionem VI 44 'quem totiens texit perituri cista Latini'. De voce 'saltata' conf. Ov. Rem. Am. 755 'illic ⟨in theatris⟩ assidue ficti saltantur amantes'. De Thaide meretrice comoediae persona conf. Iuv. III 93 ss. De Triphallo egit Postgatius (Class. Rev. XIII p. 207). Varronis fuit Menippea: *Τρίφαλλος περὶ ἀρρενότητος* (conf. Mercklin Rh. Mus. XII p. 374). Tibullus Priapum dicit Triphallum in altero Priapeo (v. 9).

v. 27 ss.] Verba: 'purum te contendo virum . . . tortoris pergula' pronuntiari a marito censuit Duffius (Class. Rev. XIII p. 268). Sed mihi persuasi neque hoc neque ullo versuum 27—34 loco maritum a poeta factum esse loquentem Quod efficiendum videtur inspecta VI. sat. compositione. Saepissime enim Iuvenalis maritum compellat, haudquaquam eum inducit verba facientem. Eadem sermonis ratione fragmentum insigne videtur. Maritum enim versibus 14, 23 poeta compellat, nullo vero versuum 27—34 verbo hunc ipsum a se induci sermocinantem enuntiat. Versibus 23—26 poeta maritum certiorem facit adulterum videri cinaedum. Itaque minime verisimile est verbis eis quae notavit Duffius statim explicare maritum se adulterum esse cinaedum pro certo habere et ancillarum testimonio velle probare. Neque, quod censet Duffius, versus 28/29 ab antecedente versu possunt separari. Verba enim: 'purum te contendo virum . . . tortoris pergula' ab eadem persona pronuntiari consentaneum est, quae sponsionem

proposuit (v. 27), quoniam sponsionis summa his versibus indicatur. Apparet poetam, cum conderet versus 27—29 animo concepisse privatae litis actionem, nam praeter sponsionem quaestionem per tormenta memorat (v. 29). Verbis vero: 'quem rides? . . . tortoris pergula' quin ipse poeta — non maritus — compellet cinaedum non videtur dubium. Nam simili modo Iuvenalis eas solet affari personas quibuscum ei res est. Conf. VI 192 ss. 'tune etiam' etc. VI 199 'dicas haec mollius Haemo'. VI 167 ss. 'malo Venusinam quam te' etc. Non aliud ac de versibus 27—29 iudicium faciendum est de iis qui sequuntur (29—34). Quos versus poeta pronuntiat quasi sua ipsa res agatur. Componendi igitur cum his versibus hi sunt Iuvenalis loci VI 167 ss., VI 651: 'illam ego non tulerim' etc. Maritum a poeta per sermocinationem induci indicia non exstant. Ex verbis enim 'et ab illis incipit uxor' nihil est colligendum, nam uxorem pro matrona simili modo poeta scripsit in versu 14. Neque quid voluerit poeta 'veteres amicos' appellans satis perspicuum est, si censeamus verba: 'novi consilia' etc. a marito enuntiari. Quodsi comparamus versus 29—34 cum VI. sat. versibus 346—348 statuendum est veteres amicos appellare poetam explicantem tritam sententiam a se proferri.

Quomodo extremi fragmenti versus (v. 29—34) cum antecedentibus dictis cohaereant accuratius est inquirendum, quoniam altera huius loci forma post VI. sat. versum exstat 345. Housmanus igitur, qui in hanc rem inquisivit, (Class. Rev. XV p. 265), explicat: When the old friends say 'pone seram cohibe' it is evident, that they are not suggesting a remedy for the pernicious influence of the cinaedus described in v. 1—29. The cinaedus is 'viscera domus' (III 73).[1]) Sed consilia ea, quae profert poeta versibus 29—31 vel contra cinaedos edita esse ex verbis elucere videtur: 'haud tamen illi semper habenda fides' (v. 20) et 'suspectus tibi sit' etc. (v. 23). Versibus enim 1—20 qua consuetudine cinaedi coniuncti sint cum maritis et uxoribus poeta describit enarrans in domibus eos versari (v. 1), in convivium adhiberi (v. 4, 14), uxorum familiares esse (v. 17—19). Iam vero poeta versibus qui sequuntur (20—29) huius consuetudinis modum nonnunquam cinaedos excedere, vel ad adulteria committenda paratos esse (v. 25 hic erit in lecto fortissimus) explicat et ideo non semper iis fidem habendam esse (v. 20) monet, praesertim si suspecti videantur. Hos igitur coercendos et a matronarum con-

[1]) Praetermittenda sunt quae porro explicat Housmanus: poetam edocere per cinaedos eunuchosque uxorem non posse impediri ne ludis spectandis rem familiarem effundat (v. 352—365).

suetudine prohibendos esse ex sequentibus versibus (29 ss.) colligendum videtur. Ex eo vero, quod poeta verba facit de uxore seris cohibenda et per custodes servanda apparet vulgaria ab eo memorari adulteriorum remedia, quorum multis locis scriptores erotici faciunt mentionem. Conf. Apul. Metam. 9, 17, 11 'uxorem mira custodela munitam domi suae quam cautissime cohibebat.' Sen. de matrim. (ed. Haase III 429, 53) 'verum quid prodest etiam diligens custodia, cum uxor servari impudica non possit, pudica non debeat? ... difficile custoditur quod plures amant'. Conf. Plaut. Mil. 146; Hor. sat. I 2, 98; Tib. I 2, 15, II 4, 33, I 2, 5; Prop. I 11, 15, II 6, 37; Ov. Ars. II 635 (praeter custodem seras hoc loco Ovidius commemorat); Am. I 6, 7; Iuv. VI 234/35. Statim vero, postquam de adulteriorum remediis dixit, ea remedia nihil valere ad servandam uxorem pudicam poeta explicat. Extremae huius fragmenti particulae generalis quaedam est notio. Nam non modo 'furta' commemorat poeta, sed etiam uxorem peccando 'incipere' a custodibus dicit. Itaque adducor, ut his versibus non proprie de cinaedorum adulteriis cogitare poetam censeam.

Haec de singulis dicenda videbantur, iam universi fragmenti breviter respiciamus compositionem. Exordium enarrationis versibus fit 1—3, quibus poeta statim quam rem sit tractaturus denotat: In quacumque domo versatur cinaedus tota familia turpitudine inficitur. Inde a versu 4 incipit enarratio, cuius prima particula, quae pertinet usque ad versum 20, quomodo matronae se gerant erga cinaedos poeta explicat. Huic fragmenti particulae digressionem inseruit poeta, quae continetur versibus 7—13. Qua digressione puriorem et meliorem esse ludum gladiatorium quam privatam domum verboso sermone enarratur. Inde a versu 20 altera fragmenti incipit particula, qua de adulteriis dicit poeta, quae committant cinaedi. Quae particula eo differt ab ea quae antecedit, quod poeta, qui modo de cinaedis dixerat plurali numero adhibito (v. 4 his, v. 14 illis, v. 15 cum quibus, v. 17—19 horum—his—his), ad unum quendam de cinaedorum numero animum videtur attendere, vivida elocutione praeter maritum (v. 23) ipsum compellans cinaedum (v. 27—29). Extrema fragmenti particula (v. 29—34) de adulteriorum remediis poeta profert disputationem. Quoniam enim versibus qui antecedunt adulteria cum cinaedis committi ab uxoribus exposuit, statim quasi sua ipsa agatur res (v. 29 novi) usitata adulteriorum remedia nihil valere ad coercendam uxorem demonstrat. Apparet ea fragmenti conclusione idoneum fieri transitum ad insequentem saturae partem, quae est de matronarum adulteriis cum eunuchis commissis.

Ex eis quae explicavi elucet universum fragmentum sen-

tentiarum artissimo conexu perscriptum esse. Quod non negant viri docti, etsi neminem memini universum interpretatum esse locum.[1]) Maasius ita locum vertit, ut ineunte fragmento versus aliquot deesse videantur (respicienda sunt verba: 'solch' ein Unzüchtling'). Sed non habemus, quod deesse quaedam censeamus. Iam vero utrum subditivum an genuinum fragmentum iudicandum sit inquirendum est.

Spurios esse versus praeter alios[2]) censet Buecheler probante Schanzio (Gesch. d. röm. Lit.[2] II 2 p. 182); sed vereor ne Buecheleri gravissima auctoritate sit seductus. Ipsum vero Buechelerum in quorundam locorum interpretatione erravisse apparet. Conferenda sunt quae ad versus 11, 14 disseruit (l. l. p. 487). Argumenta vero, quibus nititur Buecheler facile reprobantur. Nam nemo nunc dubitat, quin Buecheler, cum offenderet in versu 2 mendo metrico depravato, immerito inde spurios esse versus collegerit. Hoc scribae cuiusdam mendum correxit Housmanus (Class. Rev. XIII p. 266).

Multis viris doctis versus Iuvenalis ingenio non indigni visi sunt, sed solus Wilsonius hanc opinionem diligentius probavit argumentis e verborum dilectu depromptis (American Journal of Philol. XXII p. 268 ss.). Sed omisit Wilsonius scribendi genus, quod adhibuit versuum auctor, comparare cum sermonis ratione Iuvenaliana; neque ea examinavit argumenta, quae ex VI. sat. compositione colliguntur, censendo — perperam mea quidem sententia — post v. 345 inserendum esse fragmentum. Itaque denuo haec inquisitio suscipienda est.

Genuinum esse fragmentum mihi constat. Itaque primum ea afferam argumenta, quae e dicendi genere depromuntur.

I. Exstat in fragmento digressio (v. 7—13). Huiusce modi digressionis crebro in saturis inveniuntur. Conferendi sunt loci: III 61—66, 13—16; II 102—109; X 183—184; XI 30—31; 165 ad 170. Quomodo in ea digressione intelligenda essent verba: 'quid quod nec retia turpi iunguntur tunicae' etc. supra (adn. ad v. 7—13) disserui. Simili modo Iuvenalis solet sententias cumulare, eandem rem variis exemplis probare. Nec non verba 'quid quod' saepius posuit Iuvenalis cum novum eius rei quam studet coarguere profert argumentum. Conf. III 86 quid quod adulandi gens prudentissima laudat sermonem indocti etc. III 147 quid quod materiam praebet causasque iocorum omnibus hic idem etc. VI 45 quid quod et antiquis uxor de moribus illi quaeritur?

[1]) Housmanus argumentum breviter enarravit Class. Rev. XIII p. 266.
[2]) Quorum conspectum vide apud Schanzium: Gesch. d. röm. Lit.[2] II 2 p. 182.

X 208 quid quod merito suspecta libido est, quae venerem adfectat sine viribus?

Compluribus fragmenti locis maritum compellat poeta: v. 7 purior ergo tuis laribus; v. 14 sed tibi; v. 23 suspectus tibi sit. Item compluribus sextae saturae locis Iuvenalis affatur maritum. Conf. v. 312 tu calcas luce reversa coniugis urinam; v. 377 sed tu . . . committere noli; v. 275 tu credis amorem; v. 231 desperanda tibi salva concordia socru; v. 612 quod desipis inde est.

Sed non modo maritum affatur Iuvenalis, sed etiam eos interdum homines, quorum insectatur vitia. Conf. VI 192 tune etiam, quam sextus et octogesimus annus pulsat, adhuc Graece? VI 199 dicas haec mollius Haemo; VI 167 malo Venusinam, quam te, Cornelia. Quibus cum locis componam fragmenti versus 27—29.

Fragmenti auctorem modo pluralem modo singularem numerum in enarrando adhibere notavi. Versibus 4—20 de cinaedis agit poeta; inde a versu 20 verbis 'suspectus tibi sit' unus statim inducitur cinaedus. Simili modo versu 8 dicit poeta: 'longe migrare iubetur Psyllus ab Euhoplio' versuque 12 pergit: 'pars ultima ludi accipit has animas'. Eadem Iuvenalis est scribendi ratio, cuius multa in sexta satura inveniuntur exempla. Conf. v. 306—313, 366 ss. 'sunt quas eunuchi imbelles . . . delectent' et paulo infra: 'custodem vitis et horti provocat a domina factus spado'. 362 ss. 'prodiga non sentit pereuntem femina censum' et 365: 'non unquam reputant quanti sibi gaudia constent'. 464/65: 'ad moechum lota veniunt cute quando videri vult formonsa domi?'

Multae in saturis inveniuntur anaphorae. E quibus praecipue sunt insignes eae, quae in versuum initio sunt positae. Conf. VI 232/33: Illa docet spoliis nudi gaudere mariti, illa docet etc. 614: Tune tuos una saevissima vipera cena? Tune tuos etc. I 51. Haec ego non credam Venusina digna lucerna? Haec ego non agitem? Reliqua huiusce modi anaphorae exempla contulit Weisius.[1]) Creberrimam esse in saturis pronominum anaphoram pari modo exemplis collatis Weisius demonstravit (l. l. p. 46), itaque satis habeo unum attulisse exemplum (VI 189): 'hoc sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas, hoc cuncta effundunt animi secreta'. Nemo negabit locis a Weisio collatis merito addi posse fragmenti versus 17—19 (horum—his—his).

Ex locis quos collegit Weisius apparet Iuvenalem frequenter adhibere pronomina substantivo non adposito. Idem hic pronominum usus ex fragmento potest agnosci. Conf. v. 4 his; v. 18 his; v. 19 his; v. 17 horum; v. 20 illi; v. 25 hic. His cum locis

---

[1]) Weise, Vindiciae Iuvenalianae, Diss. Hal. 1884, p. 45.

comparari possunt: VI 355 haec tamen; 332 hic si quaeritur; 330 illa iubet (alii loci apud Weisium inveniuntur).

Verborum ellipsis apud Iuvenalem frequentissima pari modo in fragmento invenitur. Loci sunt: v. 7 purior ergo ⟨est⟩; v. 20 haud tamen illi semper habenda fides ⟨est⟩; v. 23 quanto vox mollior ⟨est⟩; v. 28 purum te contendo virum ⟨esse⟩; v. 31 cohibe ⟨eam⟩; v. 27 aliis hunc mimum ⟨age⟩. De verborum ellipsi Weisius egit l. l. p. 50—53. Conf. Iuv. sat. III 140 protinus ad censum; IV 11 sed nunc de factis levioribus.

Breves interrogationes vel exclamationes a Iuvenale frequenter adhiberi in saturis exempla afferam haec: IV 130 quidnam igitur censes? conciditur? V 8—9 nulla crepido vacat? Nusquam pons et tegetis pars dimidia brevior? V 19 quid ultra quaeris? VI 45—47 quid quod et antiquis uxor de moribus illi quaeritur? o medici nimiam pertundite venam. delicias hominis. His cum exemplis iure comparatur fragmenti locus (v. 27): quem rides? aliis hunc mimum! Vividae vero elocutionis exemplum, quam adhibet poeta fragmenti versibus 25—29 affero sextae saturae versus 219—223: pone crucem servo. meruit quo crimine servus supplicium? quis testis adest? quis tetulit? audi; nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est. o demens, ita servus homo est? etc.

Fragmenti versu 26 poeta per similitudinem rei scaenicae facit mentionem. Frequenter Iuvenalem scaenam fabulasque commemorare notum est. Conf. VI 61 ss., III 93 ss., VIII 186. 197. Versus fragmenti 26 locus consimilis exstat VI 44 quem totiens texit perituri cista Latini.

Multis saturarum locis pro coniunctivo modo indicativus exstat. Cuius rei testimonia sunt loci: III 296 in qua te quaero proseucha? IV 130 conciditur? Quibus cum locis comparandus est fragmenti locus (v. 29): an vocat ancillas tortoris pergula?

II. De verborum dilectu pauca dicenda sunt, quoniam in hanc rem diligenter inquisivit Wilsonius. Itaque paucos describam locos quos praecipue componendos esse censeo etsi ipse video ea indicia per se non sufficere ad genuinum iudicandum fragmentum. Ceterum nullum fragmenti locum demonstrari posse non scriptum videri a Iuvenale praemoneam: v. 2 professus obscoenum et II 9 tristibus obscoenis. v. 3 turpes et II 83 nemo repente fuit turpissimus. v. 4 violare cibos et XV 9 porrum et caepe nefas violare. v. 4 sacrae mensae et II 110 reverentia mensae. v. 7 tuis laribus et XV 153 laribus coniungere nostris. v. 6 bibit ⟨deficit obiectum⟩ et I 49 exul Marius bibit. v. 10 tunicae et VIII 207 credamus tunicae. v. 13 has animas et IV 152 claras animas. v. 14 communem calicem et VIII 177 communia pocula.

v. 18 langentem animum et XI 167 veneris languentis. v. 18 seria et XI 93 inter curas et seria. v. 19 clunem vibrare et II 21 clunem agitant. XI 164 tremula clune. v. 21 oculos fuligine pascit et II 93 fuligine tinctum supercilium. v. 22 reticulatus et II 96 reticulum comis implet. v. 23 quanto vox mollior et II 111 fracta voce loquendi libertas. v. 24 teneris lumbis et VIII 16 tenerum lumbum. v. 25 in lecto fortissimus et IV 3 aegrae solaque libidine fortes deliciae. v. 26 Thaïs et III 93 Thaïda. v. 29 novi (exeunte versu positum) et VI 451 odi | hanc ego quae repetit volvitque Palaemonis artem.

III. Iam, ut certissimum fiat de fragmento iudicium, ea argumenta inspicienda sunt, quae e VI. sat. compositione colliguntur. Inquirendum est, utrum versus saturae possint inseri et quo loco, necne. Quoniam vero cum fragmenti versibus 30—34 congruunt fere versus 346—348, primo loco horum versuum condicio consideranda est.

Ea saturae pars, quae incipit versu 286 tribus composita est particulis. Quarum prima, quae continetur versibus 286—305 generaliter Iuvenalis dicit de temporum commutatione et rerum corruptione. Altera particula usque ad versum 313 pertinet: describit poeta, quomodo se gerant feminae ad Pudicitiae aram. Insequitur Bonae Deae sollemnium enarratio, quam scripsit poeta versibus 314—351. Quae explicatio sententiis quibusdam generalibus concluditur (v. 335 ss.), quibus poeta simili ratione atque supra (v. 286—305) morum corruptionem conqueritur disserens: Praeterita tempora non omnino religione et castitate carebant, nunc vero impudicitia commune feminarum vitium factum est, nec nobiles feminae magis sunt pudicae, quam quae sunt de plebe (v. 351). Haec universae partis (286—351) est conclusio; post hunc versum, non post versum 348 Leoni versuum series distinguenda erat, nam versibus sequentibus ad novam causam enarrandam poeta adgreditur.[1]) Saturarum partibus huiusce modi sententias addere generales usitata Iuvenalis est consuetudo; ideoque insertis his generalibus sententis saturarum compositio intelligi potest.[2])

Ea saturae pars, quae scripta est versibus 286—351 eo differt a reliquis saturae partibus, quod nullo in his versibus loco eam profert poeta sententiam, cuius reliquis saturae partibus ubique facit mentionem: non ducendam esse uxorem propter multa uxorum vitia. (Nam ne versu quidem 313 ea matrimonii

---

[1]) De hac re infra dicendum erit p. 24/25.

[2]) De 'sententiis generalibus' conf.: Hartmann: De Iuvenalis inventione. Diss. Basil. 1908.

incommoda notantur.) Conferendae sunt partes, quae versum antecedunt 286, quibus uxores non parcere maritis (200—213), quae affectent impetrare omni modo studere (214—223), infideles esse (224—230), matrum dirigi consiliis (231—241), lites movere (242—245), gladiatoriis exercitiis indulgere (246—267), in matrimonio rixas excitare (268—278), adulteria committere (279—285) poeta explicat. Pari modo dicere Iuvenalem de matrimonii incommodis iis saturae partibus, quae post versum 351 exstant, infra demonstrabo.

Ea igitur saturae pars, quae versibus continetur 286—351, sententiis quarum feci mentionem generalibus (286—305; 335—351) ab iis partibus, quae antecedunt, iisque, quae sequuntur, distinguitur.

Intercalatis versibus 346—348 sententiarum everti conexum perspicuum est.

Sententiis eis generalibus, quas perscriptas esse versibus 335 ss. demonstravi, Bonae Deae sollemnium concluditur descriptio. Componit poeta priorum temporum religionem et sanctitatem cum corruptis suae aetatis moribus. Apparet bene in hac explicatione locum obtinere versus eos, quibus Clodii nefandum scelus commemorat poeta; Clodii enim exemplo ne publica quidem sacra malis intacta nunc agi (v. 335) probatur. Non igitur licet generalibus his sententiis subicere versus 346—348, quibus novum uxoris vitium, adulteria cum custodibus commissa, enarratur, praesertim cum universa hac saturae parte (286—351) de matrimonii incommodis non disserere poetam explicaverim. Neque possunt versus referri ad ea, quae de Bonae Deae sollemnibus disserit poeta; nam his versibus edocere poetam impediendam esse uxorem, ne his intersit sollemnibus in Iuvenalis verbis non invenio.[1]) Verbis enim 'et ab illis incipit uxor' (348) nihil explicatur nisi lascivam uxorem saepe peccare, initium fieri ab iis adulteriis, quae committantur cum custodibus. Nego Iuvenalem scripturum fuisse: 'et ab illis incipit uxor' si erat explicaturus uxorem adulteria committere cum custodibus, ut ea ratione custodiam rumperet et Bonae Deae interesset sollemnibus.

Iam quid iudicandum sit de Oxoniensibus versibus saturae inserendis reputemus.

Falso saturae loco exstare fragmentum Buecheler, Schanzius, Winterfeldius, Wilsonius, alii crediderunt. Sed nequaquam inseri potest fragmentum saturae versuum 346—348 vice. Nam quoniam insertis tribus versibus 346—348 everti demonstratum est loci

---

[1]) Quomodo intelligenda sint verba: 'pone seram! cohibe!' ex eis elucet, quae supra ad fragmenti versus 27 ss. disserui p. 15 ss.

compositionem, minime licet universum fragmentum hoc loco intercalare. Tum vero, quoniam ne versus quidem 346—348 (= fragm. 30—34)[1]) ad Bonae Deae secretorum descriptionem referendos esse manifestum est, quid sibi velint fragmenti versus 1—29[2]) post versum 345 saturae inserti equidem non intelligo. Itaque iure Leo iusto loco in codice O exstare fragmentum censuit.

Eam saturae partem, quae continetur versibus 286—351 eo differre ab antecedentibus partibus, quod matrimonii incommodorum non fit mentio, explicavi. Eae igitur saturae partes, quae Bonae Deae sacrorum insequuntur descriptionem, similes sunt earum partium, quae versus 286—351 antecedunt, quoniam denuo matrimonii incommoda, singulaque uxorum vitia commemorat poeta. Versibus enim 352—365 eas castigat Iuvenalis uxores, quae rem familiarem effundant. Tum — omissis Oxoniensibus versibus — adulteria vituperantur uxorum cum eunuchis commissa (v. 366—378), cum cantoribus comoedisque (379—397). Insequenti parte poeta enarrat uxores curiosas totam pervolare urbem (v. 398—412), humiles vicinos rapere et loris concidere (413—418), balnea nocte subire (419—433) etc. Poetam his partibus praecipue dicere de matrimonii incommodis testimonia sunt haec: v. 377 Postumum maritum poeta compellat. v. 388 quid faceret plus aegrotante viro. v. 400 praesente marito. v. 432 ergo maritus nauseat. v. 448 tibi quae iuncta recumbit. v. 464 quando videri vult formonsa domi? v. 475 si nocte maritus aversus iacuit. v. 508 nulla viri cura interea nec mentio fiet damnorum etc.

Quid igitur de fragmento iudicandum est? Singulare uxoris vitium, cum cinaedis consuetudinem a poeta describi manifestum est. Pari ratione de matrimonii incommodis dicit poeta. Conf. v. 7 purior ergo tuis laribus. v. 14 sed tibi communem calicem facit uxor et illis. v. 34 prospicit hoc prudens et ab illis incipit uxor. Iure igitur fragmentum eo exstat saturae loco, quo denuo singula matronarum vitia poeta enumerat, praesertim cum ante eam partem sit insertum, quae est de uxorem adulteriis cum eunuchis commissis. Nam et cinaedi et eunuchi iure quodam semiviri (conf. sat. VI v. 513) dicuntur, quibuscum adulteria committat uxor. Apparet igitur minime

---

[1]) Conf. 'furta' v. 32 Furtorum voce clandestini vetitique amores notantur. Quoniam vero Bonae Deae sollemnia omnibus maritis satis erant nota (conf. VI v. 314: nota Bonae secreta Deae) furtorum voce non possunt designari adulteria ab uxoribus Bonae Deae sollemnibus commissa.

[2]) Neque hos versus a versibus 30—34 licet separare; verbo enim 'novi' extremi fragmenti versus artissime coniuncti sunt cum eis qui antecedunt.

fragmentum transponendum esse; merito in codice O ante eam partem in satura exstat, quae est de eunuchis, nec non post eam partem, quae est de luxuria et rei familiaris profusione (352—365) locum obtinet. Nequaquam hoc loco laxior est partium conexus, quam reliquarum saturae partium compositio. Immo vero receptis Oxoniensibus versibus, eiectis tribus illis, qui in vulgata saturae lectione post versum 345 exstant, egregia sententiarum efficitur compositio. Mediae fere saturae inserta est Bonae Deae sollemnium descriptio; antecedunt partes, quibus singula uxorum notantur vitia, pari modo ad singulorum vitiorum matrimoniique incommodorum descriptionem insequentibus saturae partibus poeta accingitur.

Restat igitur, ut de versibus 349—351 pauca disseramus. Heinrichius, Friedlaender versus 346—351 separatam saturae partem esse censuerunt. Leo versus 349—351 coniunxit cum insequenti saturae parte (352—365). Neutra tamen versuum distinctio vera mihi videtur, immo versus 349—351 ad antecedentem saturae particulam, quae incipit versu 335, referendi. His enim versibus ea pars, quae est de Bonae Deae sacris concluditur. Inest in versibus sententia generalis haec: nullum est discrimen inter nobiles matronas et eas quae sunt de plebe; omnes pari modo delinquunt, omnes eadem sunt impudicitia et libidine.[1]) Iuvenalem hanc generalem scripsisse sententiam, ut eam concluderet explicationem, quae est de Bonae Deae sollemnibus, ex eo apparet, quod sententiae generales inveniuntur inde a versu 335, omissis scilicet versibus 346—348. Versus 349—351 ad antecedentem saturae partem referendos esse, vel ex eo manifestum est, quod his versibus in universum impudicitiam matronarum Iuvenalis vituperat, non matrimonii respicit incommoda. Rectam hanc esse opinionem vel ex voce apparet 'libido' (v. 349). Libidini enim indulgere matronas Bonae Deae agentes secreta antecedente parte Iuvenalis explicat (conf. v. 318); minime insequenti parte libido feminarum notatur, sed rei familiaris profusio. Solet Iuvenalis eas saturae partes, quibus singula uxorum vitia enumerat, ita componere, ut statim ineunte quavis parte, missis verborum ambagibus, accedat ad eam causam, quam sibi proposuit tractandam. Cuius scribendi rationis exempla sunt haec: 231—241 desperanda tibi salva concordia socru. 242—245 nulla fere causa est, in qua non femina litem moverit. 246—267 endromidas Tyrias et femineum ceroma quis nescit. 268—285 semper habet lites alterna-

---

[1]) conf. v. 323: palma inter dominas, virtus natalibus aequa. conf. Heinrich. ad l.

que iurgia lectus in qua nupta iacet. 352—365 ut spectet ludos conducit Ogulnia vestem. 365, 1—34 in quacunque domo vivit luditque professus obscoenum. 366—378 sunt quas eunuchi imbelles ... delectent. 379—397 si gaudet cantu. 398—418 sed cantet potius quam totam pervolet urbem. 419—433 balnea nocte subit. Quibus exemplis apparet minime versibus 349—351 transitum fieri ad eam saturae partem, qua de rei familiaris effusione dicit poeta, quoniam statim ineunte hac parte luxuriam describit Iuvenalis, quam faciant matronae ludis spectandis. Versus 349—351 subiciendi sunt versibus 335—345 remotis versibus 346—348.

Quae cum ita sint valde miror, quod censent complures viri docti[1]) versus Oxonienses genuinos non esse iudicandos nisi certo appareat, quomodo acciderit, ut exstarent in codice O XI s. exarato. Quoniam enim Iuvenalem versuum esse auctorem argumentis quae contuli firmis elucet et item quo loco saturae inserendum sit fragmentum iam constat, minime codicum testimoniis opus est ad genuinos iudicandos versus. Itaque statim Leonis consideranda est opinio, quam de versibus protulit. Censet vir doctus ipsum Iuvenalem versus finxisse eos, qui in vulgata saturae recensione post versum exstant 345 universam saturae partem, quae in codice O post versum 365 est inserta, retractaturum.[2]) Quam retractationem ab eo non esse absolutam, ideoque saturarum editorem opinatum esse Iuvenalem totum locum voluisse opprimere. Qua opinione eum seductum esse, ut tres illos versus (346—348), quos in margine adnotatos esse Leo censet, saturae insereret. Quoniam vero versus eo loco, quo invenerit editor ⟨ante eam partem, quae est de eunuchis⟩, retineri non potuerint, ab editore transpositos esse eo, ubi nunc praebent codices.

Sed ea ratione versuum difficultates posse expediri verisimile non est. Leo versuum 346—348 speciem aliquanto praestantiorem esse quam eam, quam praebent fragmenti versus 30—34 sibi persuasit. At certe haec res in dubium potest vocari. Buecheler enim oppressos fragmenti versus fere 32—33 formositate reliquos omnes censet antecedere (l. l. p. 488). Offendit Leo in voce 'quaecumque' scripta in versu 30. Sed cur hanc vocem versui infixerit Iuvenalis perspicuum videtur. Nam indignatione inflammatus vivida elocutione nullo modo servari posse uxorem pudicam

[1]) H. Polstorff, Neue Philol. Rundschau 24 p. 77 ss. C. Wörpel, Neue Philol. Rundschau 26 p. 533 ss. Owen, ed. praef. p. 7: quod nisi solvatur aenigma fictos subditiciosque pronuntiari par est.

[2]) Praeter Leonem duplicem formam subesse censuerunt: Reinach, Revue Archéologique 1899 I p. 454. Ellis, The new fragments of Iuvenal. Dubitat Maasius (l. l.).

explicat verbaque effundit: 'consilia et quaecunque monetis', animo quasi complectens omnia prohibendi adulterii subsidia, quae possint afferri, minimeque considerat duo consilia sola a se memorari: seras custodesque. Itaque persuasum habeo alacrem fragmenti dictionem: 'novi consilia' etc. multo praestantiorem esse quam trita verba: 'audio quid olim[1]) moneatis'. Simili modo verba: 'prospicit hoc prudens', quae egregie referuntur ad eam sententiam, quae antecedit: 'crimen commune tacetur' sane non minus apte dicta sunt quam verba: 'cauta est' (v. 349). Nec non ipsa haec arridet sententia: 'crimen commune tacetur', praesertim cum huiusce modi sententiae crebro proverbiorum ratione saturis sint insertae.[2])

Sed non illud quaestionis est principium, utrum censeamus versus 346—348 elegantiores esse quam fragmenti versus 30—34 an negemus, sed cur omissi sint fragmenti versus fere 32/33 imprimis est considerandum. Sed in hanc rem inquirere Leo omisit. Omissis vero his versiculis loci 30—34 obscurari evidentiam mihi constat. Extremorum enim fragmenti versuum generalem quandam esse notionem, non proprie disserere poetam de cinaedorum adulteriis supra demonstratum est. Quod ex ea praecipue intellegitur particula, quae in versuum 346—348 deest forma, quoniam 'furtorum' hoc loco poeta facit mentionem. Quin vero verbum 'incipit' quod exstat in versu 34 referendum sit ad vocem 'furta' (v. 32) verisimile est. Ex hoc enim verbo efficiendum videtur compluria variaque adulteria (conf. 'furta') a 'lasciva puella' committi. Cur igitur ipse poeta oppresserit versiculos fere 32/33 ingeniose conceptos ego non intelligo. Haudquaquam angusta versuum 346—348 forma melius ad versus qui antecedunt 1—29 convenit quam fragmenti versus 30—34.

Quodsi comparamus fragmenti versus 30—34 cum versibus 346—348 apparet minime verisimile esse ab ipso Iuvenale effectam esse recensionem decurtatam. Nam id prope solum inter hos locos est discrimen, quod in decurtata forma oppressi sunt versus 32/33. Excisa enim hac particula qui reliqui erant versus inter se sunt compositi. Praeterea nulla argumentorum adest discrepantia; vel principalia versuum 30—34 verba omnibus fere locis in decurtata forma sunt servata eodemque exstant ordine. Pauca enim sunt mutata in versu 30 (= 346), quoniam inserendum erat

---

[1]) In voce 'olim' offendit Winterfeldius, Berl. Philol. Wochenschrift 1899 p. 793/4. Sed conf. Iuv. sat. IX 17.

[2]) conf. I 74 probitas laudatur et alget. II 63 dat veniam corvis, vexat censura columbas. XI 208 voluptates commendat rarior usus. IX 37; X 172/73.

huic versui verbum: 'audio'.[1]) Ceteroquin post vocabulum 'custodes' (v. 32) pauca sunt inserta verba, uti suppleretur versus, qui est compositus ex versus 32 initio ⟨custodes⟩ et versus 34 conclusione ⟨et ab illis incipit uxor.⟩. Pro verbis igitur 'prospicit hoc prudens' scripta sunt verba 'cauta est'. Totum describam locum, ut quantulum sit discrimen inter utramque formam omissis versiculis 32/33 evidenter appareat:

novi
consilia et } veteres quaecunque } monetis } amici
audio quid } olim } moneatis }
'pone seram, cohibe!' sed quis custodiat ipsos
custodes [qui nunc lascivae furta puellae
hac mercede silent? crimen commune tacetur.
prospicit hoc prudens] } et ab illis incipit uxor
cauta est }

Quae cum ita sint ipsum Iuvenalem retractasse locum mihi non constat. Cur enim effecerit retractationem, cur deleverit versus 32 ad 33 admodum sane formosos vel paene necessarios non liquet. Neque cur reliquorum versuum species congruat ferme cum prima forma apparet. Censeo plura mutaturum fuisse Iuvenalem, si universum locum voluisset retractare. Pari modo cur retractationis initium fecerit Iuvenalis ab extremis fragmenti versibus perspicuum non est.

Quid vero iudicandum est de editore, a quo in lucem emissas esse retractatas a Iuvenale saturas Leo censet? Minime mihi possum persuadere adeo erravisse editorem, ut tribus versibus fragmenti versuum 30—34 simillimis compensari universum locum oppressum censeret, praesertim cum ne retineri quidem possent versus eo loco, ad quem adnotatos esse censet Leo a Iuvenale. Nego editorem quendam, qui cognitum habuit totum fragmentum, incredibili hac insanaque ratione saturae laceravisse compositionem. Probata enim Leonis opinione summa usum esse licentia[2]) editorem statuendum est. Nam non modo undetriginta eiecit versus, sed etiam eos, qui in margine erant adnotati, transposuit, nec dubitavit inserendis post versum 345 versibus sententiarum artissimum conexum plane discindere.

---

[1]) Pro verbis: 'consilia et quaecunque' ficta sunt verba: 'audio quid olim'.

[2]) Primam formam ab 'editore' diligenter servatam esse aliis locis Leo censet. Conf. sat. IX 5; VIII 121—124.

Censet Leo in scholiis mentionem fieri prioris saturarum editionis, quam ipse emiserit Iuvenalis. Scholia ascripta esse postumae editioni, sed nonnumquam scholiastam prioris editionis quam habuerit cognitam memorare locos.[1]) Sed in scholiis inveniri indicia, ex quibus sit efficiendum duas scholiastae notas fuisse editiones inter se discrepantes mihi non constat. Sane locis aliquot scholiasta scripturae notat discrepantiam. Conf. scholia versibus IV 67; VIII 239 ascripta. Sed ex his locis nihil colligendum videtur nisi complures libros a scholiasta diligenter esse collatos.

Sed afferuntur in scholiis versus, quorum alii in libris, qui aetatem tulerunt, omnino desunt, alii in parte quadam, vel in ipso praestantissimo codice P non sunt exarati. Quo in numero ii sunt versus, qui a scholiasta VI sat. v. 348 sunt ascripti, Oxoniensis fragmenti versibus 32, 33 consimiles. Praeterea ii versus sunt considerandi, de quibus Valla teste disseruit 'Probus', cum ea iam aetate in codicibus aliquot vel multis non essent descripti. Quid igitur de his versibus iudicandum est? Versus VI sat. versui 348 ascripti in scholiis exstant Pithoeanis nulla adiuncta adnotatione.[2]) Itaque unde fluxerint, qua aetate sint adnotati certo non potest statui.[3]) Leo versus ex ampliore scholio deprompta esse putat;[4]) attamen mirum videtur quod non exstat adnotatio critica, ex qua eluceat scholiastam eum, qui servavit versiculos, vel eum, a quo conceptum esse amplum scholium Leo explicat, cognitum habuisse duas fuisse saturarum editiones. Quae

---

[1]) c. Leo l. l. p. 617: Auf dieser ⟨der postumen⟩ Ausgabe beruht der Kommentar, der wohl vor Ablauf eines Jahrhunderts nach des Dichters Tode verfaßt wurde, d. h. diese kommentierte Ausgabe reproduzierte den postumen Text; dem Kommentator stand aber die erste Ausgabe der Bücher 1—4 zu Gebote und er zitiert gelegentlich deren abweichende Fassungen.

[2]) c. Buecheler, Rh. M. 54 p. 488. Leo scholium exhibet ita scriptum: hoc est, ut sibi conscios custodes faciant, ne ab ipsis deferantur. hoc agunt, ut et ipsos turpitudine libidinis suae adstringant et conscios faciant: 'qui nunc lascivae furta puellae hac mercede silent: crimen commune tacetur'. Sed versus, quos coniunxit Leo cum scholio, in codice exstant P sub lemmate: et ab illis incipit uxor]; ipsum vero scholium in codicis Sg. scholiis invenitur sub lemmate scriptum: custodes]. Quae cum ita sint inter se cohaerere versiculos Pithoeanos et codicis Sg. adnotationes — nam duae sunt, quarum utraque eadem explicatur res — non est putandum.

[3]) Hosius explicat ⟨Berl. Philol. Wochenschrift 23 p. 935ss.⟩ versiculos hos fortasse referendos esse ad Vallae codicem. Sed minime tali explicatione difficultas removetur. Nam Valla Probi qui fertur codicem diligenter inspexit, accurate versus novos, qui in eo codice exstabant, notavit: ex adnotationibus igitur, quas VI sat. ascripsit versibus 365, 614, 631 colligendum est 'Probo' non notam fuisse duplicem loci 346—348 (O 365, 30—34) formam.

[4]) Leo l. l. p. 602: Dies Scholion ist ein Excerpt, das Original hat aus der abweichenden volleren Überlieferung geschöpft.

cum ita sint mihi constat quae de editione priore et postuma disseruit Leo non posse comprobari versuum testimonio in codice P versui 348 ascriptorum. Sed iam considerandum est quid sit colligendum ex eis adnotationibus criticis, quas Valla descripsit ex scholiis eis, quorum auctorem esse 'Probum' sibi persuasit. Versui VI 365 Valla ascripsit adnotationem: 'sed hic versus in quibusdam non est, ut inquit Probus'. Sed versus non modo in codice P sed etiam in reliquis exstat libris, nec potest dubitari, quin iure in satura locum obtineat. Idem iudicium faciendum est de eiusdem saturae versibus 632, 3 ⟨desunt in P et G⟩, quos Valla instruxit adnotatione hac: 'hi duo inquit Probus versiculi in aliis non sunt'. De versibus vero VI 614 a—c. Valla disserit: 'sed hi tres versiculi in multis non sunt codicibus. quos in antiquissimo legimus codice et Probus etiam refert. Versus igitur non modo in 'libro antiquissimo', quem scrutatus est Valla, sed etiam in scholiis antiquis perscripti erant. Apparet scholiastam de his versibus non aliter iudicasse atque de reliquis, qui in aliis quos cognitos habuit codicibus deerant. Nihil ei constat de duplici loci forma vel saturarum posteriore editione; quin genuini sint versus sicut versus 365, 632/3 non dubitat. Et re vera textui inserendos esse versus infra explicabo.

Omnibus igitur iis locis, ubi scripturae discrepantiae vel versuum omissorum in codicibus scholiasta facit mentionem manifestum videtur codicum varias lectiones eum notare nihil ei constare de editione posteriore vel de duplicibus locorum formis. Censet Leo de versibus VI 558/9 idem iudicium faciendum esse atque de additamentis Oxoniensibus et de versibus 614 a—c, quoniam simili ratione atque hi versus in posteriorem editionem sint recepti. Quoniam vero versus 558/9 in reliquis praeter P et G codicibus exstant, neque 'Probus' notat, censeo hos versus scribae cuiusdam incuria medio quod vocatur aevo saturas exarantis praetermissos esse. Versus scholiis non sunt instructi. Quoniam vero versuum 557—563 scholia in solo codice P exstant, non servata esse scholia, quae fortasse versibus 558/9 erant ascripta, non est mirum. Neque aliter atque de versibus VI 558/9, iudicandum est de versibus X 67; V 91; VI 307. Reliqui vero versus quorum feci mentionem 'Probi' iam aetate in codicibus quibusdam non erant descripti.

Quae cum ita sint manifestum est mutilatas esse saturas exeunte iam antiquitate, quoniam ne in eius quidem aetatis codicibus omnibus omnes saturarum versus erant exarati. Inde a Nicaei fere temporibus versuum numerus constare videtur. Ea fere aetate recensio effecta videtur esse, quae exstat in codicibus P et $\omega$. Persuasum ergo habeo exeunte iam antiquitate

oppressa esse additamenta Oxoniensia. In medii enim aevi codice scribae incuria paginam, in qua descripti erant fragmenti versus fere 1—29 praetermissam vel ipsam eius paginae scripturam deletam esse haudquaquam mihi constat.[1]) Nam verisimile non est hominem, qui medio quod vocatur aevo exarabat saturas, difficultates, quae ortae erant oppressis fragmenti versibus 1—29, ea ratione haud plane inepte removisse, ut decurtaret extremam fragmenti partem ⟨v. 30—34⟩ et transponeret. Accedit quod ea ratione minime explicatur, quod particula quaedam loci deleti in scholiis exstat Pithoeanis. Praeterea vero considerandum videtur non eam solam saturae partem in vulgato deesse textu, quae est de cinaedis, sed eos quoque versus, qui in codice O post versum 373 sunt inserti. Quos comparandos censeo cum iis versibus, quos Valla invenit post eiusdem saturae versum 614 insertos; nam pari ratione atque hi versus exeunte iam antiquitate in vulgata saturae lectione videntur deleti esse. Neque aliter iudicandum censeo de XVI saturae conclusione, quoniam ne in codice quidem O ea satura integra est descripta. Ceteroquin inventis Oxoniensibus versibus iam plenas nos habere saturas — praeter XVI saturae conclusionem — certo non potest affirmari.[2])

Quin vero casu perierint versus Oxonienses mihi quidem procul dubio est. Sicut versus, quos Valla teste 'Probus' notavit, iique, qui in codice P desunt, hi quoque versus non consulto ab editore quodam, qui cognitos habuit, sunt oppressi. Nam ea sola ratione, quod fragmenti versus fere 29 erant deleti in antiquissimo libro ex quo codicum P et ω fluxit recensio, decurtatam esse fragmenti particulam 30—34 et post saturae versum 345 intercalatam intelligi potest. Neque ipsum Iuvenalem versus concepisse 346—348 supra demonstravi; apparet vel ex eo, quod versiculi, qui in decurtata desunt forma, in codice P versui 348 sunt ascripti. Nam ei, qui adnotavit hos versus, fragmenti extrema saltem pars erat nota; quoniam igitur criticam non ascripsit adnotationem nihil ei constitisse videtur de altera loci forma ab ipso poeta effecta, sed ponendis in margine versibus servare sibi visus est Iuvenalis verba. Quis vero adnotaverit versus vix unquam eluceat. Fortasse is, qui deletis fragmenti versibus fere 1—29 recensionem, quae exstat in codicibus P et

---

[1]) Egerunt de hac quaestione: Leo l. l. p. 603—605, 617. Winterfeldius, Gött. Gel. Anz. 1899 Nr. 11. Quenius: ed. praef., Class. Rev. XVI p. 406. Hosius, Berl. Philol. Wochenschrift 23 p. 395 ss.

[2]) videnda sunt quae infra explicavi de lacunis.

ω effecit, particulam, quam exciderat ex versuum 30—34 conexu, ipse posuit in margine censendo transpositis versibus haec verba in textu retineri non posse; nam re vera ea dicta, quae in decurtata forma sunt omissa, male congruere cum eis, quae de Bonae Deae secretis disserit poeta supra demonstratum est. Exstare vero particulam omissam in scholiis non est mirum, nam verba omissa plenum non efficiunt versum. Reliquis vero locis, ubi lacunae sunt in codice P, vel 'Probo' teste in antiquis codicibus inerant, pleni versus sunt omissi. Ii igitur versus, qui in aliquot codicibus deerant, vel in P desunt, in aliis sunt scripti, nullum praeter hanc particulam versum sola servaverunt scholia antiqua. Nam et ii versus, quos Valla invenit post versum VI, 614 insertos, non modo in scholiis, sed etiam in 'antiquissimo codice' erant positi. Sed particula ea, quae exstat in scholiis Pithoeanis non potuit denuo recipi in textum nisi deleta versuum 346—348. recensione. Quo factum est, ut postea censerent viri docti poetae cuiusdam ignoti verba a scholiasta afferri, nam multis locis in scholiis Horatii, Vergili, aliorum verba afferuntur. Quomodo vero perierint fragmenti versus fere 1—29 vix certo poterit statui, praesertim cum alii quoque versus in codicibus desint. Exeunte iam antiquitate in codicibus exaratas esse saturas codicis V. testimonio probatur s. 4 confecti. Sed iam ante 4. s. codices adhiberi solitos esse constat. Itaque in codice deletos esse versus Oxonienses incredibile non est. Fortasse in codice antiquissimo paginae eius, in qua exarata erat fragmenti maior pars, deleta est scriptura. In codicis Vaticani paginis viginti sex exstant versus. Undetriginta versus in schedis Aroviensibus scripti sunt et in codicis P paginis. Similis igitur videtur fuisse versuum numerus in antiquo eo saturarum archetypo, in quo deleti videntur fragmenti versus fere 1—29. Deletis his versibus reliqui versus sensu carebant. Nam quoniam ii fragmenti versus, qui antecedebant erant exstincti, tolerari non iam poterant reliqui eo loco, quo exstabant in codice. Accedit quod sententiae eius, quae scripta erat versu 30 verbum ⟨novi⟩ fortasse erat deletum. Itaque fragmenti extrema pars transposita et eo saturae loco inserta est, quo exstat in codicibus P et ω. Sed uti possent inseri versus eo loco non modo retractandus erat versus 30, quoniam necesse erat sententiae verbum in eum infigere versum, sed etiam versus fere 32, 33 opprimendi videbantur, quippe quibus clandestina uxoris adulteria commemorabantur. Nam ea 'furtorum' mentio non congruere videbatur cum Bonae Deae secretorum descriptione.

## 2.

Iam ad eos nos convertamus versus inspiciendos qui in eodem codice O post v. 373 sunt inserti.[1]) Difficultatibus abundabant versus post v. 365 inserendi; minus difficile iudicium de his versibus erit faciendum.

Ea saturae parte, qua exstant hi versus, de eunuchis dicit poeta, quibuscum adulteria committant uxores. Iam est demonstratum hanc partem egregie a poeta post eam insertam esse, quae est de cinaedis. Cinaedi enim, quamvis insueta sint libidine, tamen viri sunt, eunuchi vero virilitate carent. Tamen domina eunuchis utitur ut libidinem expleat, imprimis cum ea aetate sint castrati, qua iam erant puberes. Inde a versu 374 poeta inducit puerum a domina factum spadonem. Universus mihi non est interpretandus locus; egregie est explanatus in Heinrichii commentario. Minime hunc puerum pudet se esse castratum, nam longe conspicuus, cunctis notabilis balnea intrat, magnitudine penis Priapum provocat. Ante versum igitur 374 Oxoniensis codicis duo exstant versus. Quomodo de iis sit iudicandum dubium nemini poterit esse. Nam etsi vocabulum 'follis' numquam in Iuvenalis saturis ea adhibetur notione, qua hoc loco exstat, similique modo vocabulum 'cicer' *ἅπαξ* est *εἰρημένον* apud Iuvenalem, tamen versuum dictione Iuvenalis auctor efficitur. Componi possunt loci: v. 373 a. 'urit' et sat. VI, v. 260 'quarum delicias et panniculus bombycinus urit', v. 373 a 'miserabilis' et sat. II, v. 18 'horum simplicitas miserabilis. Tum vero vocabulum 'verus', quod exstat in versu 373 a, saepissime in saturis occurrit, eadem atque hoc loco notione adhibitum. Receptis igitur in textum versibus optime inter se opponuntur mangonum pueri[2]) et dominae eunuchus; Mangonum pueri virilitate erepta graviter sunt affecti, dominae eunuchus virilitatem ademptam impudice gloriatur. Quae sententiarum oppositio non modo est egregia, sed etiam Iuvenalis propria.

Non multa de versibus disseruit Leo. Ipsius afferam verba: 'Sie ⟨versus⟩ sind für den Zusammenhang entbehrlich, aber sie fügen ihm eine Pointe hinzu und steigern den Ausdruck.' Sed cur condemnaverit hos versus Iuvenalis atque oppresserit in altera editione nihil praeterea mutando non explicat vir doctus. Duplicem enim loci formam non effici insertis versibus apparet; itaque credibile non est Iuvenalem retractando locum versus delevisse. Hoc loco certissimum fit iudicium: Versus textui

---

[1]) Jackson: Class. Rev. XIII p. 401.

[2]) Mart. IX 6. Non puer avari sectus arte mangonis virilitatis damna maeret ereptae.

sunt inserendi, tamen in vulgata desunt saturae recensione, incuria vel casu oppressi. Quo apparet exemplo saturas non ea qua opus erat diligentia traditas esse.

Censet Leo versus 373 a, b posse excidi sententiarum conexu non interrupto. Quod iudicium de multis saturarum versibus potest fieri. At mihi constat totius toci 373 a—376 sententias artissime inter se coniunctas esse. Iuvenalis proprium esse sententias inter se opponere iam est dictum. Exempla afferam VI saturae locos: 627—628; 652—654; 23—24; 191—193; 359—362. Nunc demum inventis his versibus, qui sunt de mangonum pueris, quid velint versus 374—376 in Iuvenalis narratione patere videtur. Nam opponuntur hoc loco inter se mangonum pueri et 'a domina factus spado'. Vocibus enim 'mangonum pueros' et 'a domina factus spado' universus locus vinculis quasi continetur, cum sententiarum subiectum quod vocatur, logicum alterum in initio sit positum, alterum in conclusione. Ita locus est compositus, ut inter se respondeant sententiae. Duae enim sunt loci partes, quarum utraque duas continet particulas. Voce 'debilitas' alterius partis seiunguntur particulae, voce 'balnea' alterius. Apparet igitur non modo opponi inter se sententias, sed etiam summa arte a Iuvenale locum compositum esse, neque stare poterit Leonis iudicium supervacaneos esse versus in codice O post versum 373 insertos.

## 3.

Versus igitur in codice O nuper inventos et genuinos et textui inserendos esse probasse mihi videor. Restat ergo, ut eorum quoque versuum consideremus conditionem, qui pari modo in vulgata VI saturae desunt recensione in Vallae codice post v. 614 inserti ⟨v. 614 a—c⟩. Praeter Vallae codicem scripti sunt versus in codicibus GU. Falso loco ⟨post v. 601⟩ codex praebet L.

Utrum genuini essent versus an subditicii saepe inquisitum est a viris doctis. Genuinos Achaintrius versus iudicat explicans: 'hos ego vidi in pervetusto et optimo codice nec longe aberam, quin eos in contextu reponerem . . . nec a Iuvenalis ingenio valde abhorrent'. Contra Heinrichius censet versus ex sententiis aliquot in margine adnotatis ab interpolatore quodam compositos et textui insertos esse.

Nuper de versibus egerunt: Buecheler ⟨Rh. M. 54 p. 488⟩; Leo ⟨Herm. 1909 p. 606⟩; Housmanus ⟨Class. Rev. XV p. 265, ed. ad l.⟩; Owenius ⟨Class. Rev. XVI p. 407, ed. ad l.⟩. Buecheler intelligi posse versus negat, spurios iudicat. Housmanus quomodo intelligendi et emendandi essent versus inquisivit; ab ipso

Iuvenale eos conceptos, sed postea eorum in locum versum 615 substitutum esse censet. Itaque in editione sua versus non posuit in textu haec mire disserens; 'laudo iudicium eius, sive poeta fuit, sive interpolator, qui eorum in locum versum 615 substituit'. Pari modo atque Housmanus Owenius Iuvenalem censet versuum esse auctorem. Sed versus, sicut afferuntur a Valla, intelligi posse negat; itaque versus 614 a, b eo saturae inseruit loco, quo invenit Valla, versum 614 c post versum posuit 617.

Sed eas versuum explanationes sive Housmani sive Owenii stare posse negaverim. Uterque enim censet vir doctus versus 614 a—c referendos esse ad versus 615 ss.; Phalaridis nomine ⟨v. 614 c⟩ principem notari, de quo versibus 615 ss. verba facit poeta. Contra verum sine dubio Leo vidit explicando verba: 'nostro Phalarim de rege dedisti' minime spectare ad ea dicta, quae versibus 615 ss. de Caligula dat Iuvenalis. Nam nullo in saturis loco 'regem' Iuvenalis appellat principem. 'Quom' vero, quod coniecit Owenius versu 614 c ineunte, nullo in libris loco pro 'cum' scriptum invenitur.

Versus genuinos esse et sicut descripti erant in Vallae codice[1]) post saturae versum 614 locum posse obtinere sibi persuasit Leo; neque vero textui censuit inserendos esse, sed versus ab ipso Iuvenale iudicat oppressos, eorum in locum versus 615—622 substitutos esse.

Versus hos ⟨614 a—c⟩ plerique critici propterea haud dubie Iuvenalis esse negaverunt, quod non intelligebant. Sed etsi certe difficiles sunt intellectu, tamen haudquaquam carent sensu. Interpretationem enim prope veram proposuit Leo; similique ratione quid significetur Danaïdum similitudine, quae scripta est versibus 614 a, b Housmanus demonstravit.

Inde a versu 610 de magicis cantibus et philtris dicit poeta, quibus utantur uxores, ut in maritos prorsus dominentur ⟨v. 610 ad 612: mentem vexare mariti et solea pulsare natis⟩. Versibus 612—614 maritum quendam ipsum compellat Iuvenalis, quem fingit philtro potionatum, eique quam perniciosa sit philtrorum vis describit, quippe quibus animus perturbetur ⟨v. 612: quod desipis inde est⟩ et hebesceret ⟨v. 613 animi caligo et magna oblivio rerum⟩. Iam igitur est inquirendum, utrum versiculi tres, qui in Vallae codice post v. 614 erant inserti, arte cohaereant cum versuum 610—614 explicatione, an additis his versibus sententiarum intercipiatur conexus. Apparet his quoque versibus

---

[1]) graves corruptelas in versibus non subesse inspecta codicum discrepantia colligendum videtur.

sicut versibus 612—614, 615 maritum a poeta appellari, nam ex verbis pendent versus: 'tamen hoc tolerabile si non' ⟨v. 614⟩. Ex his vero verbis est colligendum sibi proposuisse poetam et eis dictis quae sequuntur disserere de philtris, sed iam verba esse facturum de philtrorum vi multo magis perniciosa quam damna ea de quibus egerat supra ⟨v. 612—614⟩; verba enim 'tamen hoc tolerabile si non' poeta sermoni inseruit, quippe quibus fieret initium gradationis. Versibus 614 a—c describi exitiosam hanc philtrorum vim mihi constat. Nam Danaïdum similitudine, quae versibus 614 a, b est perscripta significari libidinis affectionem insolitam et insatiabilem iure consentiunt Housmanus[1]) et Leo. Crebro enim scriptores Graeci Romanique Danaïdum operis faciunt mentionem designantes cupiditatem insatiabilem. c. Plat. Gorg. 493 e: *τὰ δ' ἀγγεῖα τετρημένα καὶ σαθρά, ἀναγκάζοιτο δ' ἀεὶ καὶ νύκτα καὶ ἡμέραν πιμπλάναι αὐτά* ⟨*ὁ ἀκόλαστος*⟩. c. Heinze ad Lucr. III v. 935, 1003. c. Norden: In Varronis saturas Menippeas observationes selectae. Fleckeisens Jahrbb. Suppl. 18 p. 332. De libidine philtro stimulata versibus 610—614 non verba facit poeta, cum explicet philtra uxores adhibere, ut sub potestatem suam redigant maritos. Sed versuum 614 a—c hoc fere est argumentum: Philtrorum vi animum perturbari et hebescere ⟨v. 612—614⟩ tolerari potest. At peius est malum, si philtro excitetur libido vehementissima et insaturabilis ⟨v. 614 a, b⟩. Quam perniciosa sit ea libido, naturae quae excedit modum, versu demonstratur 614 c. Maritus enim, qui antea humanum se praestiterit regem[2]) i. e. patronum, iam dum libidine hac vexatur, commutatus videtur in hominem saevum et iracundum,[3]) Phalaridis tyranni similem. Leo explicat verbis 'Phalarim dedisti'[4]) ⟨perf.⟩ notari maritum antea iam philtri vim expertum esse. Sed hoc in poetae verbis non invenio, neque cur hanc rem poeta memoret perspicuum est. Sed censeo versus 614 c sententiam componendam esse cum versuum 612—614 argumento. Sicut

---

[1]) Housmanus explicat: 'significatur assidua coitus libido amatorio medicamento incitata Danaïdum labori similis et in furorem evadens'.

[2]) Regis vocem ea hoc loco adhibitam esse notione Leo vidit. c. Iuv. V 161: regis conviva, 130: usque adeo quis perditus, ut dicat regi: bibe?

[3]) Philtris dementiam, saevitiam, furorem moveri posse antiquis constabat. c. Ov. A. a. II 106: philtra nocent animis, vimque furoris habent. Suet. Cal. 50 creditur potionatus a Caesonia uxore amatorio quidem medicamento, sed quod in furorem verterit. c. Iuv. VI 615 scholiumque huic versui ascriptum: nimia impatientia furens.

[4]) Verborum compositionem: 'nostro Phalarim de rege dedisti' explanaverunt Housmanus ⟨l. l. p. 266⟩ et Owenius ⟨l. l. p. 408⟩. 'Dare' simili atque hoc loco notione adhibuit Iuvenalis XIV 52: quandoque . . . similem tibi se . . . dederit.

enim his versibus Iuvenalis maritum inducit philtri vi desipientem ⟨praes.⟩ hebetemque animo factum, versu 614 c poeta maritum finxit philtro potionatum ideoque medicamento venis concepto conversum in hominem rabidum Phalaridis tyranni saevos mores exercentem. Mihi persuasi verbo 'dedisti', quod exstat hoc loco perfecto tempore adhibitum, praesentis temporis inesse vim.

Apparet ergo versus 614 a—c bene aptos esse ex versibus qui antecedunt 610—614. Nam hi quoque versus ad philtrorum spectant descriptionem, similique modo atque versibus 612—614 maritum compellat poeta. Sed notatur his versibus philtri incommodum animi perturbatione et imbecillitate funestius: saevitia insaturabili libidine excitata. Quam explicationem gradatione adhibita antecedentibus dictis annexuit poeta. Restat igitur, ut orationis genus, quod adhibuit versuum auctor, cum Iuvenalis comparemus dicendi ratione.

Regis vocem eadem notione, qua exstat 614 c adhibuit Iuvenalis I 136; V 14, 130, 161; VII 45; VIII 161. Phalaridis exemplum Iuvenalis affert VIII 81 ⟨c. VI 486: Sicula aula⟩. Pronomen 'iste' ineunte versu sicut hoc loco positum est XI 168 ⟨ista voluptas⟩. Vocem 'dedisti' exeunte versu posuit Iuvenalis VI 27; XIV 70, 244; IX 124. Verborum 'de rege' similem locum attulit Housmanus V 25: 'de conviva'. 'Dare' simili atque hoc loco notione a Iuvenale adhibitum esse XIV 52 supra adnotavi.

Haec de verborum dilectu, iam ipsum dicendi genus considerandum est. Notabilis videtur vocis 'semper' anaphora adhibita in versu 614 a. Anaphoras frequenter in saturis inveniri supra disputavi, locos contuli ⟨p. 19⟩, itaque satis habeo hoc loco haec afferre exempla: VI 612/13 ⟨inde — inde⟩, 624 ss. ⟨haec — haec — haec⟩. Ea igitur vocis 'semper' anaphora usus duplici ratione Danaïdum opus describit poeta ⟨aquam portas rimosa ad dolia — onus subis manantibus urnis⟩. Quam Iuvenalis scribendi esse consuetudinem unam atque eandem sententiam varia persequendi et iterandi ratione Friedlaender demonstravit ⟨praef. p. 55⟩. Cuius rei exempla sunt haec: X 25—27, 118/19, 188; II 14, 62/63, 88/89; III 2/3, 26; VI 349—351; VIII 1/2.

Versuum 614 a—c auctor per similitudinem Danaïdum commemorat opus, Phalaridis exemplum affert. Duo ergo exempla ex mythologia et historia deprompta in his inveniuntur versibus. Quodsi perscrutamur saturas apparet simili ratione ubique Iuvenalem fabularum facere mentionem vel exempla afferre ex historia hausta. De quibus infra dicendum erit; mythologiam frequenter attingere Iuvenalem exempla sunt haec: I 81—84; II 149—151; III 25, 89; VI 59, 172—177, 652—660; VII 210—212, 234—236;

VIII 269—271; IX 64/5, 148—150; X 246—264, 292, 324—327; XIII 39—52, 213/14, 241/42; XV 13—26, 65—67; XVI 5—6. Sed iam qua ratione adhibuerit versuum 614 a—c auctor Danaïdum operis similitudinem inquirendum est. Denotare poetam similitudine ea libidinem vehementissimam et insaturabilem explicavi. Quam libidinem non comparat poeta cum hoc Danaïdum opere, sed pro ipsius quam tractat rei descriptione similitudinem posuit. Translate igitur, per allegoriam, Danaïdum opus intelligendum est. Eadem ratione compluribus in saturis locis Iuvenalis fabulosas per similitudinem vel allegoriam posuit historias; pro status vel rei cuiusdam descriptione similitudo exstat generali quadam notione adhibita. Conferendi sunt loci: III 279 noctem patitur lugentis amicum Pelidae. VI 29 dic qua Tisiphone, quibus exagitare colubris. IX 148—150 ⟨Fortunam non moveri precibus his versibus notatur⟩. VI 172—177 ⟨insolentem superbamque matronam quae opprimat sors, Niobae similitudine significatur⟩. X 292 pulchra gaudet Latona Diana ⟨maternum gaudium omnibus concessum matribus⟩. XI 30—31 neque enim loricam poscit Achillis Thersites, in qua se traducebat Ulixes. XII 118—120 si qua est nubilis illi Iphigenia domi dabit hanc altaribus. ⟨Singulare igitur Agamemnonis crimen generali quodam sensu hoc loco affert Iuvenalis significans eos, qui affectent hereditatem paratos esse simile crimen committere atque Agamemnon.⟩ Versibus 614 a, b Danaïdum opus describit poeta, ipsas non nominat Danaïdes. Pari ratione frequenter Iuvenalis in saturis rerum gestarum vel fabularum facit mentionem personarum quas inducit omissis nominibus. Nam IX 148—150 quomodo Ulixes effugerit Sirenum insidias enarrat, at neque Ulixis neque Sirenum memorat nomen. VIII 265 de Cloeliae audaci facto, 261—263, 266—268 de Bruti filiorum coniuratione, 273—275 de Romae origine verba facit, sed personarum non exstant nomina. Item personarum nomina non afferuntur VI 8, 486, 620—623, 634, 661. Reliqua huius rei exempla collegit Friedlaender versuum I 25, V 45 adnotationibus.

Versu 614 c translationem (non comparationem) adhibuit poeta Phalarim appellando maritum dementem. Phalaridis nomine typice est usus notando hominem rabidum et iracundum. Pari modo permultis locis typice Iuvenalis nomina propria posuit pro appellativis. Exempla afferam haec: VI 566. Tanaquil tua ⟨conferenda est Friedlaenderi adnotatio⟩. 656 Belides, Eriphylae, Clytaemnestra. XIV 20 Antiphates, Polyphemus. VI 110 facit hoc illos Hyacynthos. 503 Andromachen a fronte vides. XI 61 Euander. VIII 34 Europa. III 53 carus erit Verri; qui Verrem

tempore quo vult accusare potest. VIII 81 Phalaris licet imperet ut sis.

Non modo igitur bene convenire versus 614 a—c ad eos qui antecedunt, sed etiam Iuvenalianae dictionis prae se ferre indicia, ideoque genuinos iudicandos esse demonstravisse mihi videor. Sed iam Leonis consideranda est opinio censentis versus 614 a—c alteram loci 615—626 esse formam.

Constat mihi versus 614 a—c sicut arte cohaerent cum versibus 610—614 non minus bene locum obtinere ante versus 615 ss. Postquam Iuvenalis versu 614 c maritum rabidum comparavit cum Phalaride tyranno, iam inde a versu 615 alium inducit 'tyrannum' Phalaride haud dubie multo saeviorem et insaniorem, Caligulam principem.[1]) Sed eo hoc Caligulae exemplum a comparatione differt, quae exstat v. 614 c, quod Caligulae furorem ⟨c. v. 615 et furere incipias⟩ medicamento amatorio dato ab uxore excitatum esse antiquis scriptoribus constabat c. Iuv. VI 616 (c. schol. ad l.) c. Suet. Cal. v. 50. Itaque hoc exemplum maxime est idoneum ad probandam exitiosam philtrorum vim quam denotavit poeta versibus 614 a, b. Non satis habet Iuvenalis cum Phalaride comparasse maritum, sed statim alterum affert exemplum, quo quam perniciosa sint philtra summa eluceat evidentia. Quod est proprium Iuvenalis, qui solet rem de qua agit compluribus ornare exemplis. c. Friedl. praef. p. 53, 55 c. sat. VIII 231—271, VI 643—661, II 25—33. Praeterea vero dubium non potest videri, quin Caligulae exemplum sermoni inseruerit poeta gradatione adhibita. Quod elucet comparatis inter se versibus 614 c et 615 ss. Versuum enim 615 ss. enarratio multo est effusior magisque vivida quam versus 614 c sententia. Versu 614 c Iuvenalis maritum comparat cum Phalaride saevo[2]) crudelique Agrigentinorum tyranno, versibus vero 615 ss. eum componit cum Caligula praepotenti orbis terrarum domino, qui furore suo orbem labefactarit, ferro ignique in populum Romanum saeviverit ⟨v. 618: ardebant cuncta et fracta compage ruebant; v. 624/5⟩. Immo vero Caligulae vecordia cum Iovis comparatur furore, quem insanum fecit Iuno ⟨v. 619⟩. Accedit quod explicat poeta Caligulae furorem excitatum esse philtro efficacissimo, tota pulli fronte ⟨v. 616⟩.

Iam ipsae considerandae sunt loci formae, quas statuit Leo. Alteram, quam effici censet versibus 610—614 c iure positam

[1]) cum versibus 615—626 comparanda est Suetonii explicatio. Suet. Cal. c. 50.

[2]) c. Iuv. sat. VIII 81, VI 486 (schol: Phalaris Agrigentinus saevissimus tyrannus). Cic. de off. III 6, 29 Phalarim crudelem tyrannum et immanem. Ov. Trist. III 11, 39: saevior illo, qui falsum lento torruit igne bovem.

esse negaverim propterea, quod solo versu 614 c saevitiam rabiemque philtris posse moveri explicatur. Sed sermonem adeo strictum abhorrere a Iuvenalis dicendi ratione notum est. Neque mihi possum persuadere Iuvenalem postquam inde a versu 614 ⟨tamen hoc tolerabile⟩ indicavit multo magis perniciosam evadere posse philtrorum vim quam damna ea, de quibus egerat versibus 612—614 satis habuisse uno versu 614 c quale sit novum hoc philtrorum detrimentum significare.

Nec magis placet altera forma ⟨610—614, 615—626⟩. Furor enim, de quo dicit Iuvenalis versu 615 haud dubie excitatus videtur ea philtri vi, quae versibus notatur 614 a, b. Apparet ergo hos versus non posse excidi e sententiarum contextu. Tum vero omissis versibus 614 a—c inquirendum videtur, cur coniunctio 'et' sit posita ineunte versu 615. Ii enim, qui spurios iudicaverunt versus 614 a—c hoc loco 'et' vocis 'etiam' adhibitum esse notione explicaverunt. Sed censeo ex eo, quod exstat coniunctio 'et' ineunte versu 615 certo esse efficiendum versus 614 a—c ante versus 615—626 in textum esse recipiendos.

Tota igitur saturae pars, quae versibus continetur 610—626 in duas dividitur particulas. Altera, quae versibus scripta est 610—614 dementiam et animi imbecillitatem moveri posse philtris explicat poeta vocis 'inde' usus anaphora. Altera particula verbis incipit 'tamen hoc tolerabile'. Disserit poeta philtris nasci posse rabiem saevitiamque ⟨v. 614 c⟩ vel cum furore insaniam, si quidem medicamento amatorio libido insaturabilis sit excitata.

Iam ad huius quaestionis et universi capitis, quo egi de versibus, qui in vulgata saturarum recensione desunt, finem perventum est. Nam quomodo acciderit, ut opprimerentur versus quoniam supra ⟨p. 28 ss.⟩ exposui, ubi de versibus qui omissi sunt in libris disputavi, hoc loco explicatione non est opus. Idem de his versibus iudicium faciendum est atque de iis, quos supra explanavimus. Nam neque ex hoc loco neque ex iis, de quibus supra egi colligendum est ipsum Iuvenalem retractando saturas locos quosdam oppressisse; vel potius unoquoque apparuit loco receptis versibus qui desunt in textu vulgari meliorem effici sententiarum conexum.

---

Caput II.

## Locorum interpretatio VI 558—559; VIII 1—9, 121—124; IX 5; XI 162—170.

Altero hoc commentationis capite nobis proposuimus locos aliquot explanare, ubi duplicem posuit Leo formam, quamquam versus, quos notavit, vulgato saturarum textu exhibentur exarati in praestantissimo codice P vel in maxima codicum parte. Quo in numero perpauci sunt loci, quos merito suspectos esse persuasum habeo, quoniam depravati videntur sane non duplici forma, quam statuit Leo, sed interpolatione vel lacuna (nam inventis Oxoniensibus versibus quis pro certo affirmet iam plenas nos habere saturas praeter XVI saturae conclusionem?). De iis igitur locis infra dicendum erit, iam ii considerandi sunt loci, qui interpretatione explicantur.

### 1.

Suspectos Leo sextae saturae habet versus 558—559. Versus hos non exaratos esse in codicibus P et G neque scholiis instructos supra ⟨p. 29⟩ explicavi.

Inde a versu 511 Iuvenalis de feminarum superstitione verba facit. Versibus igitur 553—591 quantum feminarum astrologiae sit studium disserit. Qua in saturae parte insignes sunt versus 557—564 quibus quod mathematicorum genus maxima apud feminas floreat auctoritate enarratur.

Censet Leo versus 558/9 alienos esse ab ea explicatione. Generaliter hoc loco Iuvenalem dicere de poenis, quibus mathematici afficiantur, quae praebeant materiam eius gratiae, in qua astrologi sint apud feminas. In earum poenarum enumeratione gradationem adhibuisse Iuvenalem; primo enim loco exilium commemorari ⟨v. 557⟩, tum vincula ⟨v. 560/61⟩ denique deportationem afferri ⟨v. 563/4⟩. Quam sententiarum conexum discindi insertis versibus 558/59 quoniam his versibus mentio fiat eius astrologi, qui vaticinatione sua instinxerit Othonem ad interficiendum Galbam. Neque bene cohaerere hos versus cum ante-

cedente versu 557. Itaque duas statuendas esse loci formas sibi persuasit Leo: alteram effici versibus 557, 560—564, alteram versibus 557—559. Hanc formam primam concepisse Iuvenalem, neque vero in ea forma versus 557 eandem fuisse conclusionem atque eam, quam praebent codices. Verba enim 'qui saepius exul' postea scripsisse Iuvenalem alteram fingentem formam.

Quam Leonis opinionem stare non posse elucet inspecta loci 557—564 compositione. Nam constat universus locus tribus particulis. Quarum prima tribus efficitur versibus ⟨v. 557—559⟩, altera duobus ⟨560/61⟩, tertia, sicut prima, tribus continetur versibus ⟨v. 562—564⟩. Distinguuntur hae partes eo, quod poeta ad enarrationem suam ter quasi adgreditur verbis usus: I. 'praecipuus est horum' ⟨v. 557⟩, II. 'inde fides artis' ⟨v. 560⟩, III. 'nemo mathematicorum genium indemnatus habebit' ⟨v. 562⟩. Quarum partium simillima est compositio, nam unaquaeque pars ex duabus composita est particulis. Quod inde apparet, quod in unaquaque parte anaphoram adhibuit Iuvenalis, anaphorae usu distinxit particulas. Nam primae partis particulae sunt: 'qui saepius exul' — 'cuius amicitia' etc.; alterius: 'sonuit si dextera ferro' etc. — si longe . . . mansit; tertiae: 'sed qui paene perit' — 'cui vix . . . contigit'. Eo quoque inter se simillimae sunt partes prima et tertia, quod non modo ternis constant versibus, sed etiam relativi pronominis his partibus poeta adhibuit anaphoram, in brevi media parte conditionalis particulae 'si' usus anaphora. Artificiosam igitur loci 557—564 compositionem plane deleri remotis versibus 558/59 neminem censeo fugere posse.

Unaquaque earum partium, quas distinximus duo Iuvenalis affert testimonia, quibus insignis est 'praecipuus' astrologus matronarum gratia florens. Prima enim parte de exilio et mathematici cum Othone familiaritate poeta dicit, altera de manicis et carcere, tertio de poena mortis ⟨v. 563: sed qui paene perit⟩ et deportatione. Accurata ergo loci inspectione apparet non solum exilium, carcerem, deportationem a poeta memorari, sed etiam mortis poenam ab eo versu 563 notari.

Consideratis igitur eis argumentis, quae ex universi loci compositione colliguntur, adducimur, ut certo statuamus merito versus 558/59 in textu locum obtinere. Oppressis enim his versibus prima loci pars iam non, sicut reliquae, duabus constat particulis sed una, neque duo afferuntur testimonia, sicut partibus altera et tertia, sed unum. Quae cum ita sint, iam est inquirendum, quo iure in ea explicatione, qua praecipui astrologi memorantur testimonia, mentio fiat astrologi illius Othonis amicitia, Galbae nece famosi, qua ratione in media variarum poenarum

enumeratione exstet hoc clari astrologi exemplum ex historia depromptum. Leo enim explicat: 'sie ⟨versus⟩ gehören nicht zur Bezeichnung des Typus, sondern sie führen eine bestimmte Person mit der Angabe ihrer berüchtigten Tat vor, wie v. 615 ff. in der Fassung unserer Handschriften.'

Versibus 558/59 Iuvenalis eum inducit astrologum, qui Othonem stimulaverit, ut Galbam principem interficeret. Galbam enim significari verbis: 'magnus civis et formidatus Othoni' constat. Conf. Plut. Galb. c. 23; Tac. Hist. I 22; Suet. Oth. c. 6 ⟨Friedl. ad l.⟩. Frequenter Iuvenalem personarum quas affert non memorare nomina supra disserui. Conferendi sunt loci: I 20; II 29; VI 337, 486, 615; VIII 237; X 109, 330 c. Friedl. ad v. I 25.

Ut certum de versibus quos notavit Leo fiat iudicum necesse est eos consideremus locos, ubi, sicut hoc loco, historiam attingit Iuvenalis Creberrime enim historiae facit mentionem exempla affert ex historia deprompta. Eorum exemplorum consideranda est ratio. Plurimis saturarum locis huiusce modi exempla sermoni inseruit poeta, quibus res quaedam vel sententia probetur aut demonstretur. Conf. I 49; II 108—109; III 53; V 36—37, 44—45, 146—148; VI 156—158, 335 ss., 486, 615 ss., 620 ss.; VIII 105—107, 221—222; X 108—109, 34, 324—325; XIII 184 ss.

Sed non desunt loci, quibus Iuvenalis exempla ex historia deprompta sensu generali vel typico adhibuerit. Ea ratione his locis historiae mentionem facit poeta, ut singulari exemplo hominum vel rerum genus significetur. Apparet quod supra enucleavimus de fabularum ratione simili modo statuendum esse de exemplis historicis. Nam typico sensu exempla ex historia hausta Iuvenalis posuit his locis: II 99 'ille tenet speculum pathici gestamen Othonis.' Othonis hoc loco Iuvenalis memorat speculum denotans cinaedum pari ratione atque Othonem speculo uti; haudquaquam explicat id speculum eum tenere, quod in manibus fuerat Othonis defuncti. III 53 'Carus erit Verri qui Verrem tempore quo vult accusare potest.' Typice Verrem hoc loco affert poeta significans hominem potentem et corruptum. Egregie exempla historica aliquot locis typice adhibuisse Iuvenalem ex loco apparet V 43 ss.: 'nam Virro ut multi gemmas ad pocula transfert a digitis, quas in vaginae fronte solebat ponere zelotypo iuvenis praelatus Iarbae.' Dicit enim Iuvenalis hoc exemplo: gemmis pretiosis, earum similibus, quibus Aeneae gladius erat ornatus, Virronis pocula sunt distincta. Bene scholiasta locum explicat: tales gemmas mittit in calicibus, quales solebat Aeneas in vaginis gladii habere. Pro correlativo pronomine relativum posuit Iuvenalis fingens verba: quas — solebat ponere.

Nec non typico sensu Iuvenalis adhibuit verba quae exstant VI 167: 'malo Venusinam quam te, Cornelia mater Gracchorum.' Corneliam enim commemorat denotans matronam superbam, insolentem, nobilem. Pari modo typico sensu percipienda sunt verba ⟨VI 620⟩: 'minus ergo nocens erit Agrippinae boletus.' Famosum Claudii veneno interempti poeta affert exemplum explicans melius esse veneno perire quam philtro hausto insanire. Typice denique Catilinam, Brutum, Catonem Uticensem affert Iuvenalis XIV 41—43 'Catilinam quocumque in populo videas, quocumque sub axe, sed nec Brutus erit, Bruti nec avunculus usquam'.[1]) Quae omnia exempla ex historia deprompta typico sensu adhibuit Iuvenalis. Quod vel inde apparet, quod poeta, etsi prioris aetatis affert homines tamen sententiarum verba nonnumquam praesenti vel futuro tempore posuit. Conf. III 53 carus erit Verri. VI 620 minus ergo nocens erit — boletus. XIV 43 nec Brutus erit. VI 167 malo Venusinam.

Censeo igitur de VI saturae versibus 558/59 idem iudicium faciendum esse atque de iis saturarum locis, quos modo contuli. Nam nihil obstat, quominus hoc quoque loco exstare exemplum typico sensu adhibitum nobis persuadeamus. Toto loco ⟨v. 557–564⟩ Iuvenalis quibus agnoscatur praecipuus astrologus testimoniis describit. Quodsi in ea explicatione poeta disserit praecipuum astrologum esse eum, cuius amicitia conducendaque tabella magnus civis obierit et formidatus Othoni, sane hoc exemplum typico sensu percipiendum est. Versuum enim vis haec est: Astrologus, qui feminarum floret gratia, necesse est tale commiserit crimen, quale famosus ille Chaldaeus, qui Othonem instinxit, ut Galbam interficeret. Denotat igitur Iuvenalis bis versibis astrologos, qui arte sua abusi sunt ad evertendam rem publicam. Quod quoniam nobis constat, iam qua ratione interpretandi sint versus 557, 560—564 perspicuum videtur; neque probavit nobis Leo opinionem suam versus 558/59 non pertinere ad eorum testimoniorum descriptionem, quibus agnoscatur egregius astrologus explicans. Composuit Leo hoc exemplum cum eo, quod exstat VI 615 ss. Sed locos hos componendos esse nego. Eo enim loco philtri vim poeta comparat cum veneno Claudio dato. Comparationem adhiberi particula comparativa 'ut' perspicuum est. ⟨c. 'et furere incipias ut

---

[1]) Sexta saturae versibus 155 ss. res quasdam Iuvenalis enumerat ad luxuriam pertinentes; praeter crystallina et myrrhina memoratur 'adamans notissimus et Berenices in digito factus pretiosior'. Demonstratur hoc exemplo earum rerum feminas affectare possessionem, quae in manibus fuerunt clarorum hominum.

avunculus ille Neronis'.⟩ Dissimiles igitur sunt loci: alter typice intelligendus est, alterum per comparationem condidit poeta.

Leo, ut probet opinionem suam, qua versus 558/59 in textu non ponendas esse affirmat, Pauli affert locum ⟨sent. 5, 21, 1⟩; eo enim loco Paulum pari modo de poenis disserere, quibus afficiantur astrologi atque Iuvenalem versibus 557, 560—564. Pauli sunt verba: 'primo fustibus caesi civitate pelluntur, perseverantes autem in vincula publica coniciuntur aut in insulam deportantur vel certe relegantur.' Nego hunc Pauli locum comparandum esse cum Iuvenalis versibus. Nam dicit Paulus hoc loco de iis poenis, quibus tertio p. Chr. n. saeculo[1]) ii affici solebant astrologi, qui, postquam vaticinari vetiti et exilio multati sunt, denuo deliquerant. Supplicium, cuius Iuvenalis mentionem facit v. 563 eo loco Paulus non memorat. Neque de iterato exilio ⟨c. Iuv. v. 557: 'saepius exul'⟩ Paulus dicit. Quodsi recte quid explicet Iuvenalis versibus 557—564 perspicere est propositum, inquirendum videtur, quod poenarum genus sit statutum in astrologos primo p. Chr. n. saeculo; causaeque sunt considerandae, quibus commoti principes vel senatus in eos solebant animadvertere.[2]) Crebro senatus consulta vel principum edicta in astrologos proposita esse eius aetatis scriptores identidem commemorant. Ex eis igitur locis, qui de astrologis apud hos exstant scriptores colligendum est exilio[3]) praecipue coercitos esse astrologos. Conf. Tac. Ann. II 32: 'facta de mathematicis magisque Italia pellendis senatus consulta'. XII 52 'de mathematicis Italia pellendis factum senatus consultum atrox et inritum'. Hist. II 62 'pulsi Italia mathematici' Saepe animadversum esse in astrologos Ulpianus est auctor. Conf. Mos. et Rom. leg. coll. 15, 2, 3: 'Saepissime denique interdictum est fere ab omnibus principibus' etc. Non multum valuisse ea edicta et senatus consulta ex Taciti apparet loco: ⟨Hist. I 22⟩ 'genus hominum . . . quod in civitate nostra et vetabitur semper et retinebitur'. Ad ea edicta senatusque consulta de pellendis mathematicis identidem facta referenda esse Iuvenalis verba ⟨v. 557⟩ 'qui saepius exul' persuasum habeo. Cur vero animadversum est in astrologos? Ex eo, quod persaepe senatus consultis, principum edictis omnes pulsi sunt astrologi colligendum censeo rei publicae causa

---

[1]) c. Mommsen, Röm. Strafrecht p. 864.

[2]) De hac re disseruerunt: Mommsen, Strafrecht p. 861—865; Friedl. S.-G. I[9] p. 367; Marquardt, Röm. Staatsverwaltung III[2] p. 92—94.

[3]) c. Mommsen, l. l. p. 864: seit Tiberius wird in Rom und Italien die Divination als Gewerbe kriminell behandelt und außer der Vermögenskonfiskation mit Verbannung bestraft.

eorum vaticinationem non permissam esse.[1]) Identidem senatus consulta in astrologos facta sunt postquam eluxit coniurationum eos fuisse participes. Conf. Tac. Ann. II 27—32. XII 52. Solitos esse astrologos ad evertendam rem publicam arte abuti ex Taciti verbis apparet: ⟨Hist. I 22⟩ 'genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax'. Rei publicae causa animadversum esse in eos Paulus prodidit: ⟨sent. 5, 21, 1⟩ 'vaticinatores . . . idcirco civitate expelli placuit, ne . . . publici mores ad spem alicuius rei corrumperentur'. Identidem astrologi arte sua eos instigaverunt, qui novas moliebantur res. Conf. Suet. Oth. c. 4, 6. Tac. Ann. II 27, XII 52. Propterea gravibus poenis principes eos afficiebant astrologos, qui coniurationum fuerant consortes. Conf. Paul. sent. 5, 21, 3: 'qui de salute principis vel de summa rei publicae mathematicos . . . consulit cum eo qui responderit capite punitur'. Ulpianus vero tradidit haec: ⟨l. l. 15, 2, 6⟩. 'Denique et Divus Marcus eum, qui motu Cassiano vaticinatus erat . . . in insulam Syrum relegavit'. At summa indignatione et odio in astrologos animadvertisse Vitellium, Othoni qui successit, ex Suetonii apparet loco: ⟨Vit. c. 14, 4⟩ 'nullis tamen infensior quam vernaculis et mathematicis; ut quisque deferretur, inauditum capite puniebat, exacerbatus, quod post edictum suum, quo iubebat intra Kal. Oct. urbe Italiaque mathematici excederent statim libellus propositus est, et Chaldaeos dicere bonum factum, ne Vitellius Germanicus intra eundem Kalendarum diem usquam esset'. Supplicii igitur vel deportationis poenam auctores quos attuli memorant, qua castigati sint ii astrologi, qui divinatione abusi erant ad evertendas principum dominationes. De supplicio vero ⟨v. 563: sed qui paene perit⟩ et deportatione Iuvenalis quoque dicit versibus 563—564.

Quae cum ita sint persuasum habeo Iuvenalem versibus 557—564 explicare eos astrologos praecipua apud matronas florere gratia qui divinatione abusi sint ad evertendam rem publicam. Verba enim: ⟨v. 557⟩ 'qui saepius exul' concepisse Iuvenalem iterata senatus consulta, principum edicta comprehendentem animo verisimile videtur. Re vera cogitare Iuvenalem de hoc astrologorum genere principibus exitioso versibus apparet 558/59, quibus eum memorat astrologum, qui Galbae necis fuerit auctor. Typico sensu percipiendum esse hoc exemplum supra explicavi. Nec minus ea versuum 557—564 interpretatio, quam proponimus confirmatur poenarum enumeratione, quae exstat versibus 560–564. Postquam Iuvenalis exemplo, quod exstat versibus 558/59 quantum

---

[1]) c. Mommsen l. l. p. 863: als Störung der öffentlichen Ordnung wird die Vaticination bestraft.

valeat mathematicorum vaticinatio ad evertendos principatus demonstravit, versibus qui sequuntur eas affert poenas, quibus castigari solebant ii, qui tale commiserant crimen. E quibus supplicium et deportationem praeter Iuvenalem Suetonius et Paulus memorant.

Considerata loci 557—564 compositione eluxerat versus 558/59 retinendos esse in textu; pari modo iure in textu positos esse versus interpretatione apparet: nego in Leonis partes transeundum esse explicantis versus hos locum obtinuisse in ea forma, quam primam condiderit poeta. Censet Leo in prima hac forma, quam statuit, versus 557 conclusionem diversam fuisse ab ea, quam praebent codices. Qua de re incertissima disserere omitto, quoniam quaenam fere in ea forma supplenda sint verba non explicat Leo. Satis habeo inter se comparare duas formas, quas statuit Leo. Apparet altera forma crimen afferri quod commiserit Othonis astrologus, at nullam memorari poenam. Contra altera forma variae enumerantur poenae criminis nullius mentione facta. Sed minime verisimile est Iuvenalem condidisse duas formas adeo diversas, neque mihi persuaserim altera brevi forma Iuvenalem solum Othonis eiusque astrologi commemorasse scelus.

## 2.

Multis laborare corruptelis et difficultatibus versus eos, quibus efficitur octavae saturae primordium, sicut exarati sunt in codicibus, statim apparet inspecto apparatu critico. Adeo enim inter se discrepant codices, uti vix reicienda videatur suspicio gravibus depravatum esse textum corruptelis. Praeterea ne versuum quidem numerus et ordo in codicibus sibi constat. Nam versus 7 in eis deest libris, qui nota significantur *ω*, in quibusdam ante versum exstat 5. Sed corruptelarum maxima pars haud difficile sanatur ⟨conf. v. 4 pro ‘umerosque’ immerito in libris scriptum ‘nasumque’ vel ‘umeroque’; v. 5 pro ‘Corvinum’ ‘Corvini’; v. 8 pro ‘fumosos’ ‘famosos’⟩, quoniam nunc iam constat in constituendo textu imprimis utendum esse praestantissimo codice P. Itaque huius codicis testimonio confisi Buecheler, Friedlaender viri de Iuvenale egregie meriti eam textus speciem omnino carere mendis sibi persuaserunt, quam praebet codex P. Sed denuo in versibus offendit Leo. Paldamum secutus sibi visus est removisse difficultates posita duplici loci forma. Asseverat vir doctus versus 6—8 alteram esse versuum 1—5 formam. Ad statuendam duplicem formam se ait adductum esse, quod non modo bis Corvini afferatur nomen, sed etiam stemmatis, de quo dicit poeta in versu 1 denuo fiat mentio in sexto ⟨c. ‘generis

tabula'⟩. Tum vero offendit in voce 'posthac' immerito in versu 7 posita. Vocem 'posthac' ea notione qua hoc loco esset adhibita, apud scriptores Latinos ipsumque Iuvenalem non inveniri.

Ad difficillimum hunc locum iam ante Leonem studia contulerunt viri docti difficultates quae adsunt vel quae videntur variis rationibus tollere conati sunt. Heinrichius spurium esse censuit versum 7 probantibus postea Jahnio, Mayoro. C. Fr. Hermannus in Mus. Rhen. volumine 6 ⟨p. 454—458⟩ pluribus de loco egit, versus delevit 5/6. Diversa ratione locum sanasse sibi visus est Ribbeckius ('Der echte und der unechte Juvenal' p. 95—98), subditivos iudicans versus 4—8. Etsi vero constat Hermanni, Ribbeckii commentationibus non esse utendum ad constituendum textum, quoniam hi viri diversa atque nos ratione criticam artem exercuerunt, tamen inutile non est quae explicaverunt relegere; iuvat videre, quibus in versibus offenderint, quos eiecerint, qua ratione universum locum conati sint sanare. — Nuper denique Weidner, Owenius, Withofius, Housmanus varias loci emendationes proposuerunt.

Post tot igitur virorum doctorum studia retractandus mihi est locus. Nam emendationibus quas attulerunt iam restituta esse Iuvenalis verba nego. Neque mihi persuaserim duplici statuta forma difficultates quarum feci mentionem posse expediri. Antequam vero ad hanc accedam controversiam diiudicandam pauca sunt praemonenda, quae ad rerum quas memorat Iuvenalis versibus 1—9 spectant explicationem. Variis enim rationibus viri docti Iuvenalis verba interpretati sunt, praeter rectas proposuerunt explicationes aperte falsas. Itaque explicandum videtur, quid sit 'stemma' in versu 1 a Iuvenale commemoratum, quid 'maiorum picti vultus' ⟨v. 2⟩, quid 'tabula generis' ⟨v. 6⟩, quomodo interpretanda sint verba ⟨v. 7⟩ 'multa contingere virga', quomodo intelligenda verba ⟨v. 3⟩ 'stantes in curribus Aemilianos' etc, utrum his verbis effigies notari censeamus an tabulas.

Pauca de stemmatibus sunt explicanda, quae affert Iuvenalis in versu 1. Stemmatum vocabulo significari lineas, quae ea ratione discurrebant ad maiorum imagines in atrio collocatas, uti cognationis efficeretur conspectus Achaintrius, Heinrichius, Weidner, Friedlaender, Mayor explicaverunt. Sed mihi persuasi hoc loco Iuvenalem stemma dicere avorum seriem, vel cognationis gradum. Quod colligendum censeo cum ex verbis quae sequuntur: 'longo sanguine censeri', tum ex versu 40 ⟨tumes alto Drusorum stemmate⟩. Pari ratione scholiasta locum explicat: 'stemma est generis ordo, ut gradus'. Similis vocabuli est notio apud Martialem ⟨VIII 6, 3⟩: 'Argenti furiosa sui cum stemmata narrat'.

Verbis ⟨v. 2⟩ 'pictos ostendere vultus maiorum' tabulam a

Iuvenale notari Achaintrius censuit. Falsam hanc esse explicationem manifestum est. Heinrichius, Weidner, Mayor, alii recte cereas a Iuvenale significari maiorum imagines intellexerunt, ipseque edocuit Mommsenius, qui egit de loco in libro eo qui est de iure publico ⟨vol. I³ p. 445 adn. 1⟩. De imaginibus conf. Marquardt, H.-B. VII p. 241—245; Mommsen, St.-R. I³ p. 442—447. Conf. Sen. de ben. III 282: 'Qui imagines in atrio exponunt et nomina familiae suae longo ordine ac multis stemmatum inligata flexuris in parte prima aedium collocant, non noti magis quam nobiles sunt?' 'Pictos' vero Iuvenalis maiorum dicit vultus, quia coloratae erant imagines. Conf. Mommsen l. l. p. 445; c. Pol. VI 53: *ἡ δὲ εἰκών ἐστι πρόσωπον εἰς ὁμοιότητα διαφερόντως ἐξειργασμένον καὶ κατὰ τὴν πλάσιν καὶ κατὰ τὴν ὑπογραφήν.* c. Plin. n. h. XXXV 2. 'Imaginum quidem pictura, qua maxime similes in aevum propagabantur figurae in totum exolevit[1]) . . . expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines . . . stemmata vero discurrebant ad imagines pictas'.

In similem errorem atque Achaintrius nuper inciderunt Friedlaender, Marquardtius scholiastae secuti explicationes versibus 5/6 ascriptas. Friedlaenderi est opinio Iuvenalem toto loco de tabula, in qua depicti sint maiores, verba facere. Inspiciendae sunt adnotationes, quibus instruxit versus 3, 6—9. Pari ratione Marquardtius ⟨l. l. p. 244⟩ censet, in tabula depictos esse eos, quos Iuvenalis in curribus memorat stantes, eosque, quos mutilatos umeris, nasis, auriculis describit ⟨v. 3—5⟩. Sed effigies hoc loco a poeta notari, non tabulas, certo mihi constat. Nam fuisse in nobilium familiarum atriis praeter imagines eorum maiorum effigies, qui rebus gestis maxime erant insignes, verisimile est. Quae est Mommsenii opinio, qui explicat ⟨l. l. p. 445 adn. 1⟩: 'Anstatt dieser Wachsmasken mögen späterhin einzeln, insbesondere bei den vornehmsten Helden des Geschlechts, Bilder in ganzer Figur aufgekommen sein, wie denn Iuvenal VIII 3 die stantes in curribus Aemilianos erwähnt und Martial 2, 90, 6 sagt: atriaque immodicis artat imaginibus . . . Daß diese Triumphalbilder mit dem stemma nichts zu tun gehabt hätten, wie Marquardt, Handb. VII p. 244 meint, ist mir nicht wahrscheinlich'. Quodsi in versu 3 Aemilianos Curiosque memorat Iuvenalis stantes in curribus, effigies dicit avorum collocatas in curribus triumphalibus. Pari ratione Heinrichius,[2]) Weidner,

---

[1]) sed conf. Marquardt l. l. p. 245: Daß aber die Wachsbüsten ganz außer Gebrauch gekommen seien, muß man trotz der Behauptung des Plinius bezweifeln, da noch im Jahre 276 n. Chr. ihrer bestimmte Erwähnung geschieht. c. adn. 2 et 4.

[2]) Haud scio an iure sibi persuaserit Heinrichius versu 3 ⟨stantes in

Mayor locum explicaverunt. De tabulis vero universo loco, qui continetur versibus 1—9 haudquaquam verba facit Iuvenalis; ceras significat et effigies.[1]) Quod versibus intelligi potest 9 ⟨effigies quo tot bellatorum⟩ 19 ⟨tota licet veteres exornent undique cerae atria⟩ 22 ⟨hos ante effigies maiorum pone tuorum⟩ 18 ⟨frangenda imagine⟩ 8 ⟨fumosos — magistros⟩. Nam appellando 'fumosos' magistros equitum et dictatores Iuvenalem notare cereas imagines non picturas manifestum est. Frequenter enim scriptores Romani imagines appellant 'fumosas'. Locos contulerunt Friedlaender et Mayor. Minime significari picturas vel ex eo apparet, quod imagines auriculis nasisque carere Iuvenalis explicat, quas particulas effigiebus crebro deesse constat. Mira videtur opinio in tabulis has potissimum deleri vetustate particulas. Itaque ea reicienda est explicatio quamvis scholio confirmata; scholiasta enim ut eam proponeret seductus videtur esse poetae verbis ⟨v. 2⟩: 'pictos ostendere vultus'. Ex eis igitur, quae explicavi eluxisse censeo Iuvenalem dicere versibus 1—9 de eis maiorum effigiebus, quae in atrio erant collocatae ⟨c. v. 19: tota licet veteres exornent undique cerae atria⟩. Sed praeter usitatas imaginum formas effigies memorat poeta ea ratione fictas, ut conspicerentur maiores triumphantium habitu in curribus stantes ⟨v. 3 stantes in curribus Aemilianos et Curios⟩.

Difficultas quaedam videtur subesse in verbis ⟨v. 6⟩ 'generis tabula' explicandis. Friedlaender cum scholiasta faciens picturam esse generis tabulam censet immerito;[2]) nam de picturis toto hoc loco non verba facere Iuvenalem demonstratum est. Constat mihi ita intelligenda esse poetae verba ⟨v. 6—8⟩, ut censeamus in eadem 'capaci generis tabula' praeter Corvinum, quem memorat poeta v. 7 conspicuos fuisse dictatores et magistros equitum, quorum fit mentio v. 8. Ex eo igitur, quod hi dicuntur 'fumosi' apparet ceras Iuvenalem notare non picturam. Itaque persuasum habeo verba: 'generis tabula' Iuvenalem notione adhibuisse translata significantem maiorum imagines titulosque stemmatum flexuris inter se coniunctos. Cur vero 'capax' dicatur tabula, ex versus 19

---

curribus Aemilianos et Curios⟩ Iuvenalem verba facere de effigiebus earum similibus, quae portabantur in pompa funeris. De quibus c. Marquardt l. l. p. 354/55 c. Dio Cass. 56, 34: *καὶ ἐν αὐτῇ ⟨τῇ κλίνῃ⟩ τὸ μὲν σῶμα κάτω που ἐν θήκῃ συνεκρύπτετο εἰκὼν δέ τις αὐτοῦ κηρίνη ἐν ἐπινικίῳ στολῇ ἐξεφαίνετο.*

[1]) v. 4 Curios iam dimidios. c. Iuv. XV 5 dimidio Memnone; 56 vultus dimidios.

[2]) Friedlaender explicat una tabula totam avorum seriem esse depictam (c. schol. v. 6 imagine perpetua). Sed fuisse in atriis huiusce modi tabulas non constat.

verbis elucere videtur: tota licet veteres exornent undique cerae atria. Censent Heinrichius et Hermannus memorare Iuvenalem v. 6 genealogiam literis mandatam, qua avorum descripta sint nomina et honores. Quoniam vero imaginibus tituli erant affixi, in quibus maiorum nomina honoresque erant descripta, separata ab imaginibus genealogia non opus erat. Praeterea etsi a scriptoribus Romanis qui antiquitatis studiis se dederant libros conscriptos esse qui erant de nobilium gentium origine notum est, tamen verbis 'generis tabula' huiusce modi libros non significari manifestum est.

Altera oritur quaestio quomodo intelligenda sint verba: 'multa contingere virga' ⟨v. 7⟩. Graviter enim in explicando hoc loco haesitaverunt viri docti. Inepte Heinrichius 'virga' notari scopas, quibus detergerentur imagines, explicat. 'Multa contingere virga' idem esse atque frequenter bacillo imagines tangere, i. e. multas imagines visitantibus atria ostendere proposuit Hermannus probante nuper Weidnero ⟨conf. adn. ad v. 7 — conf. et Ribbeck. l. l. p. 97: 'daß eine oft und eifrig erhobene Gerte gemeint ist, mag Doederlein . . . und Hermann richtig erraten haben etc.'⟩. Sed Latine dici posse 'multa contingere virga' pro: uno atque eodem bacillo identidem h. e. multorum avorum imagines ostendere minime mihi persuaserim. Iustam loci explicationem proposuerunt Friedlaender, Leo. Nam eadem atque hoc loco notione 'contingere' posuit Iuvenalis XI 62 ⟨contingere sanguine caelum⟩. Denique gradu, affinitate, sanguine contingere aliquem multis apud scriptores Latinos invenitur locis. (Conf. Thes. L. L. s. v. contingere.) Verbis vero 'multa virga' quin denotentur stemmatis lineae vel flexurae dubius non sum. Nam sicut nos Romani generis conspectum arbore significare solebant. In extremis igitur arboris virgis collocati erant maiores antiquissimi, a quibus gentis ducebatur origo. Re vera stemmatis lineas verbis notari 'multa virga' non modo ex Persii apparet loco, quem attulit Friedlaender ⟨Pers. III 8⟩, sed etiam ex eo elucet, quod Iuvenalis, postquam versu 1 generaliter disseruit de stemmatibus generisque iactatione, versibus 6—8 imaginum stemma ante oculos quasi proponit. Nam translate stemmatis lineas titulosque imaginibus subscriptos 'generis tabulam' appellare poetam modo demonstravi. Quae cum ita sint certo persuasum habeo perperam scholiastam interpretatum esse locum: 'multis fascibus, dignitate'. Nam etsi locis aliquot, poetae virgam memorant notantes imperium consulare ⟨Stat. Silv. I 2, 47; Ov. Trist. 5, 6, 31⟩, tamen hoc loco explicare Iuvenalem contingere gloriosum maiorum iactatorem fumosos dictatores interposita consulum serie nego. Sicut enim reliquis locis, ubi 'contingere' eadem

atque hoc loco exstat notione, scriptum est: gradu vel sanguine, vel propinquitate contingere aliquem, hoc loco maiorum iactatorem dicit Iuvenalis stemmatis flexuris contingere fumosas imagines maiorum. Ea ratione igitur intelligendus est locus, ut censeamus et gradu et stemmatis lineis contingi dictatores et magistros equitum.

Haec erant praemonenda, iam inspiciamus duplicem loci formam a Leone positam. Ita vero rem instituam, ut doceam neque opus esse ea coniectura, neque eas formas, quas finxit Leo, stare posse.

Primo igitur loco considerandus est versus 7; in hoc enim versu inprimis offenderunt viri docti. In maxima codicum parte non exaratus est versus, in libris aliquot ante versum exstat 5. Itaque inquirendum est, utrum genuinus sit suoque loco positus in codice P, necne. Praeterea circumspiciamus necesse est, num corruptelis sit depravatus. Nam cum offenderunt viri docti in nominis Corvini iteratione, tum tolerari posse vocem 'posthac' negaverunt.

Non exstare versum in plurimis libris nil attinere censeo ad spurium iudicandum versum. Nam non omnes Iuvenalis versus in omnibus codicibus perscriptos esse constat. Praeterea non habemus, quod spurium esse versum censeamus. Quoniam enim difficilis est intellectu, potius mihi persuaserim ob eas difficultates quibus scatet deletum esse versum in deterioris notae libris. Denique cur effecta sit interpolatio intelligi non potest.

Versum iusto loco exstare in codice P haud difficile intellegitur. Nullo enim alio loco potest intercalari salvo sententiarum conexu. Sed bene eo inseritur loco, quo exaratus est in P. Quod elucet consideratis versibus 6—8. Hi enim versus eo ab eis qui antecedunt distinguuntur, quod poeta denuo ad rem de qua agit quasi adgreditur enarrandam verbis usus: 'quis fructus'. Quodsi comparaverimus versus 6—8 cum eis qui antecedunt apparet Iuvenalem ea, quae versibus 1—5 effuse copioseque enarravit, versibus 6—8 breviter stricteque quasi complecti. Postquam versibus 1—5 verbose dixit de stemmatibus ⟨plur.⟩, imaginibus et effigiebus, satis habet versu 6 memorare generis tabulam. Eo quoque strictior versuum 6—8 explicatio potest agnosci, quod poeta his versibus de una dicit gente, Valeria scilicet, in qua insignis est Corvinus, non sicut supra variarum gentium affert nomina. Quoniam vero unius gentis stemmatis poeta versibus 6—8 facit mentionem, iam elucere censeo, cur denuo Corvini in versu 7 afferatur nomen. Ex eis enim gentibus, quas attulit poeta versibus 1—5 nunc unam quasi depromit, huiusque gentis stemma nobis

proponit. In earum gentium numero quas memoravit Iuvenalis versibus 1—5 extremo fere loco Corvini exstat nomen. Corvinum igitur cur denuo afferat poeta perspicuum videtur. Censet Friedlaender Corvinum, quem dicit Iuvenalis, M. Valerium Corvum esse. Sed non opus est putare certam quandam Iuvenalem notasse personam; Corvini enim in gente Valeria insignes erant, Galbae in Sulpicia. — Censeo igitur immerito offendisse viros doctos in Corvini nominis iteratione, fidemque habendam esse egregii codicis P testimonio. Scriptum est in libris aliquot pro 'Corvinum' 'Fabricium'. Sed neminem potest fugere hanc lectionem effectam esse, ut difficultas, quae videbatur, removeretur. Itaque horum librorum lectiones non maiorem habent auctoritatem quam coniecturae a viris doctis propositae.

Maior difficultas quam in Corvini nominis iteratione subest in voce 'posthac'. Negaverunt viri docti (Heinrichius, Ribbeckius, Weidner, Owenius, Withofius, Housmanus, Leo) hanc vocem ea notione a scriptoribus Latinis ipsoque Iuvenale adhiberi, qua hoc exstat loco. Itaque emendatione opus esse censuerunt, vel totum versum spurium esse sibi persuaserunt. Quomodo ergo de hac re iudicandum est? Iuvenalem versibus 6—8 unum nobis proponere stemma, unam memorare gentem explicavi. Constat mihi in hac 'generis tabula' non modo Corvinum, sed etiam dictatores magistrosque equitum conspicuos esse. In eiusdem gentis maiorum numero Corvinus, magistri equitum, dictatores habentur. Ex verbis enim 'quis fructus' verba pendent et 'iactare' et 'contingere'. Dicit igitur poeta versibus 6—8 inutile esse in maiorum numero ostentare Corvinum, praeterea multis stemmatum flexuris ⟨multa virga⟩ i. e. multis cognationibus dictatores contingere, h. e. generis originem ab his deducere claris viris. Apparet Iuvenalem duo arte connexuisse verba, quorum diversa quaedam est vis; nam verbo 'iactare' actio, verbo 'contingere', qua notione hoc exstat loco, minus actio quam status significatur. Sed simili ratione atque hoc loco in versu 2 verba posuit poeta 'censeri' et 'ostendere'. Nimis presse Iuvenalis inter se coniunxit verba 'iactare' et 'contingere'. Ut igitur, qua ratione inter se coniuncta sint haec verba satis eluceat, verba 'iactare Corvinum' ita fere explicanda videntur: maiorum iactatorem gloriari se cum Corvino affinitate coniunctum esse.

Verba 'iactare' et 'contingere' inter se coniuncta sunt in codice P particula 'posthac'. Postquam vero Hermannus, Friedlaender, Buecheler non offenderunt in hac voce, nuper Leo ab ipso Iuvenale vocem versui illatam esse negavit; nam non alia ratione particulam 'posthac' a Iuvenale adhiberi, quam omnino

a scriptoribus Latinis. Etsi vero constat plurimis apud scriptores locis particulam exstare verborum fere notione 'in Zukunft', 'von jetzt ab', tamen locis haud ita paucis alia notione adhibita invenitur. Tacitus enim locis aliquot 'posthac' scripsit pro 'postea', 'tum'. Conf. Ann. XV 14: 'missi posthac Paeto nuntii et regis conloquium petitum, qui Vasacen praefectum equitatus ire iussit'. XVI 8 'Inducti posthac vocabulo indicum, qui in Lepidam . . . incestum cum fratris filio et diros sacrorum ritus confingerent'. Praeterea nonnullis locis ineunte capite vel paragrapho vocem 'posthac' Tacitus posuit particulae scilicet vice, qua transitus fit a re quadam, quam enarravit, ad novum tractandum argumentum. His igitur locis 'posthac' videtur scripsisse Tacitus particularum loco: 'postea', 'inde', 'dehinc', 'exim'. Conf. Ann. V 9: 'Placitum posthac, ut in reliquos Seiani liberos adverteretur'. VI 7 'Q. Servaeus posthac et Minucius Thermus inducti'. XII 11 'Datum posthac C. Cassio . . . deducere iuvenem ripam ad Euphratis'. ⟨Quibus cum locis comparandi sunt loci VI 9: 'secutae dehinc Tiberii literae'. XV 70 'Exim Annaei Lucani caedem imperat'. V 8 'relatum inde' . . .⟩ Nec non 'posthac' adhibuit Tacitus in rerum vel personarum enumerationibus. Conf. Ann. III 61/62: 'Primi omnium Ephesii adiere . . . proximi Magnetes nitebantur . . . Aphrodisienses posthac et Stratonicenses decretum attulere . . . exim Cyprii . . . Ann. XV 70 Postquam Lucani mortem Tacitus enarravit, pergit: 'Senecio posthac et Quintianus non ex priore vitae mollitia, mox reliqui coniuratorum periere'. — Quae cum ita sint, nonne censebimus Iuvenalem hoc loco vocem 'posthac'[1]) simili ratione adhibuisse atque Tacitum eis locis, quos attuli? Nam in 'capaci generis tabula' conspicuos esse et Corvinum et dictatores et magistros equitum demonstravi. Longa adest maiorum series, primo igitur loco ostentatur Corvinus, dehinc sequuntur dictatores et magistri equitum.

Sed licet concedamus difficultatem quandam subesse in particula 'posthac'; si delendam censeamus, quid sit supplendum frustra requiro. Nam explanari ea ratione non posse locum, quam proposuit Leo, statim elucebit inspecta loci compositione.

Versibus 1—20 specialem effici saturae partem sententia apparet generali, quae exstat in versu 20: 'nobilitas sola est atque unica virtus'. Explicat poeta his versibus maiorum numero et egregiis rebus gestis veram non impetrari nobilitatem. Quattuor

---

[1]) Withofius probante Housmano scribendum esse proposuit pro 'posthac' 'posse ac'. Sed sicut Iuvenalis in v. 2 verba posuit 'censeri' est 'ostendere', non 'posse censeri' et 'posse ostendere', ita in versu 7 dicit 'iactare' et 'contingere' verbo 'posse' non addito.

sunt huius disputationis partes, quarum prima Lepidorum nominibus a poeta commemoratis est insignis ⟨v. 1—9⟩, altera Numantinorum ⟨v. 10—12⟩, tertia Allobrogicorum ⟨v. 13—18⟩. Inde universae partis sequitur conclusio.

Non dicit Iuvenalis de unius gentis maioribus. Quod cum ex eo apparet, quod complurium gentium afferuntur nomina, tum ex versus elucet 19. verbis: 'tota atria'. Non recte igitur Ribbeckius locum intellexit, cum offenderet in tot nominibus a poeta allatis.

Cum igitur in universum de maiorum cultu dicat Iuvenalis, non est mirandum, quod non modo varias affert res, quae ad maiorum cultum pertinent ⟨stemmata, imagines, effigies, generis tabula⟩, sed etiam complures enumerat gentes.

Censet Leo idem fere a Iuvenale explicari versibus 6—8 atque versibus 1—5, ideoque duplicem statuit formam. Quam ut proponeret opinionem seductus videtur inspectis versibus 1—10 omissis iis, qui sequuntur. Demonstravi inter se artissimo sententiarum conexu cohaerere versus 1—20, quam saturae partem quattuor dividi particulis. Neminem potest fugere eandem fere esse sententiam earum particularum, quae versibus continentur 1—18. Liceat mihi harum particularum argumenta afferre: v. 1—9 quid faciunt stemmata... si coram Lepidis male vivitur? v. 10—12 effigies quo tot bellatorum, si luditur alea pernox ante Numantinos? ... v. 13—18 cur Allobrogicis ... gaudet Fabius? etc. Apparet ter Iuvenalem repetere sententiam quam proposuit, exemplis variis instructam. Quod proprium esse dictionis Iuvenalianae constat.

Non satis habet poeta semel affirmasse veram nobilitatem maiorum cultu non impetrari; ideoque identidem ad eandem rem explicandam accedit interrogationis dicendi genere usus: Stemmata quid faciunt? Quid prodest longo sanguine censeri? Quis fructus generis tabula iactare Corvinum? Effigies quo tot bellatorum? Cur Allobrogicis gaudet Fabius? Apparet ergo versus 1—20 artissime inter se cohaerere immeritoque in ponenda duplici forma solos versus 1—9 tractasse Leonem.

Sed non modo universa haec saturae pars ⟨v. 1—18⟩ ambagibus iterationibusque effusa quadam ratione est perscripta, sed etiam prima particula, quae efficitur versibus 1—9, Iuvenalianae prae se fert dictionis speciem, cum non desint iterationes ⟨conferenda sunt verba: stemmata quid faciunt; quid prodest longo sanguine censeri; quis fructus generis tabula Corvinum iactare⟩. Omnia praeterea, quae ad maiorum pertinent cultum: imagines, effigies, stemmata, generis tabulam paucis his poeta attulit versibus, quasi rerum commemoratarum multitudine probetur argumentum. Gravissima ironia usus maiorum cultum Iuvenalis insectatur

diligentissime enarrando Curios iam esse dimidios, effigiebus umeros, nasos, aures deesse, dictatorum imagines fumosas esse. Quoniam vero prima hac particula omnia quasi complectitur poeta, quae ad maiorum pertinent cultum, certa non est requirenda argumenti dispositio; tantum spectat poeta, ut quam plurimas afferat res. Id vero potest affirmari increscente indignatione poetam facere verba.

Demonstrasse mihi videor iustam esse traditam versuum compositionem, restat ut duplicem loci formam a Leone statutam stare non posse explicem. Censet Leo insertis versibus 6—9 sententiarum interrumpi conexum, ideoque hanc alteram loci posuit formam. Quae altera forma ab eo non potuit effici nisi versus 7 immutatione, quae nullis confirmatur codicum testimoniis. Arridere hanc alteram formam non affirmaverim, etsi Leoniana versus 7 species venustate quadam non caret. Sed offendo in eo, quod Pontici nomen exstat in altero huius formae versu. Solet enim Iuvenalis eas personas, quos singulis compellat saturis primo statim nominare allocutionis versu. Conf. VIII 1; IX 1; XII 1; XIV 1; XV 1; XVI 1; VI 21; XIII 5. Neque cur poeta solum Corvini nomen attulerit, tum in universum dicat de dictatoribus et magistris equitum liquet, praesertim cum capax appelletur generis tabula. Negari non potest hanc formam qua est tenuitate abhorrere a Iuvenalis dicendi genere, neque congruere cum insequentibus versibus effuse perscriptis. Tum vero non liquet cur Iuvenalis, cum in versu 7 Corvinum attulerit in versu 9 memoret Lepidos. Quid enim Valeriis est cum gente Aemilia? Lepidi non possunt afferri nisi ante commemoratis complurium gentium nominibus. Recte Leo edocuit Iuvenalem verba scribentem ⟨v. 9⟩: 'si coram Lepidis male vivitur' eam adhibuisse dictionis figuram, de qua egit Buecheler.[1]) Sed si quid video haec deletur figura suppressis versibus 1—5. His enim versibus variarum gentium enumerantur nomina. Contra in versibus 6—8 solum Corvini exstat nomen; dictatores et magistri equitum nominatim non appellantur. — In nono versu exstant verba: 'effigies quo tot bellatorum'. At effigies dici in Leoniana forma non invenio. Persuasum habeo vocibus: 'tot bellatores' non notari dictatores magistrosque equitum, de quibus in universum dicit poeta, sed eos claros viros, de quibus verba facit in versibus 1—5. Simili ratione ex eo, quod

[1]) Leo Herm. 1909 p. 610; Buecheler: ind. lect., Bonn. 1878/79, p. 20: ... Porphyrio ... adnotavit hanc transitionis figuram brevitati sermonis magis quam cogitationum severitati convenientem. saepe illi rerum singularum, quas ante memoraverunt, aliquam faciunt summam nec vero summam proponunt ipsam sed rursum singula dant exempla diversa a prioribus.

in versu 9 Lepidi, in 13 Allobrogici, in 14 Fabius memorantur, apparet ineunte satura nominatim gentes afferri. — Quae cum ita sint immerito a Leone duplicem statutam esse formam manifestum est.

### 3.

In eiusdem saturae versibus 121—124 duplicem subesse formam censuit Leo; tamen ipse concedit ad liquidum rem non posse perduci. Non primus Leo in hoc loco offendit. Weidner locum sibi visus est sanasse. Friedlaender tautologiam inesse in versibus putavit, sed ipse qua ratione locus sit explicandus demonstravit. Explicat enim tautologiam quam vocat effici Iuvenalis consuetudine quae modo dixit sententia repetere generali. Qua de Iuvenalis saturarum componendarum ratione egregie disseruit Vahlenus exemplaque contulit ⟨Opp. Acad. I p. 227 ss.⟩.

Enarrat enim Iuvenalis: Praecipue iis parcendum est, qui non modo sunt miseri, sed etiam fortes. Sane auferas omne aurum et argentum: praesto erunt scutum, gladius, iaculum, galea; spoliatis igitur non desunt arma ⟨scilicet quibus te possunt opprimere⟩. Verbis ergo 'spoliatis arma supersunt' sententiarum quae antecedunt efficitur quasi summa. Praeterea vero quomodo iudicandum sit de hoc dicto ex insequentis versus elucere videtur argumento. Quamquam enim poeta hoc versu explicat se non proposuisse sententiam rhetoricam, tamen apparet sententiose faceteque eum pronuntiasse verba: 'spoliatis arma supersunt'. Spolia enim proprie dicuntur arma hosti devicto a victore erepta; hoc loco facetum excogitavit poeta dictum asseverans arma restare spoliatis. Quae cum ita sint manifestum videtur verba: 'spoliatis arma supersunt' non posse demi e sententiarum contextu. Nam dubitari non potest, quin ad haec potissimum verba pertineat versuum qui sequuntur ⟨125/6⟩ argumentum.

Altera Leonis forma versibus efficitur 121—123. Affirmat Leo verba: 'scutum gladiumque relinques' respondere verbis: 'spoliatis arma supersunt'. Sed verbis: 'scutum gladiumque relinques' universam hanc concludi saturae particulam non concedo. Haudquaquam idem valent verba: 'scutum gladiumque relinques' atque 'spoliatis arma supersunt'. Verbis enim: 'scutum gladiumque relinques' poeta pari modo atque eis quae antecedunt ⟨'tollas licet' etc.⟩ compellat provinciae rectorem haec fere explicans: Auferas licet aurum et argentum, non surripies scutum et gladium. Verbo ergo 'tollas' quodam modo respondet verbum 'relinques' similique modo cum memoretur aurum et

argentum, gladii fit mentio et scuti. Verba vero: 'spoliatis arma supersunt' ea mente haud dubie concepit poeta, ut totum locum concluderet absolveretque. Quod vel ex eo elucet, quod non, sicut supra, provinciae rectorem affatur his verbis, sed ipsos iam inducit spoliatos provinciae incolas. Apparet enim in versibus 121—123 grammaticum esse subiectum provinciae rectorem, quem compellat poeta, contra in versu 124 subiectum quod vocatur logicum spoliatos esse. Inserto igitur versu 124 opponit inter se Iuvenalis provinciae rectorem et incolas spoliatos: Quoniam provinciae rector non sicut aurum et argentum, scutum quoque et gladium et iaculum et galeam abstulit, ii quos spoliavit arma contra eum possunt capessere. In Leoniana loci forma sententiarum desideratur acumen, lumen[1]) scilicet illud quod exstat versu 124 exeunte. Ad hoc vero dictum praecipue referendum esse versuum 125/6 argumentum disserui. Quae cum ita sint mihi constat perfectum absolutumque non videri locum nisi inserto versu 124.

Non multa de altera quam finxit Leo forma sunt explicanda: 'Curandum in primis, ne magna iniuria fiat fortibus et miseris: spoliatis arma supersunt'. Nam etsi in hac forma vera loci exstat conclusio, tamen angustior est, quam ut a Iuvenale eam esse conceptam sit putandum. Quaenam enim sit magna ea iniuria, de qua dicit poeta versu 121, pluribus describitur versibus 122/3. Quod vero non satis habet Iuvenalis gladium attulisse et scutum, additis iaculo et galea non est mirum. Multas afferre res proprium esse Iuvenalis in explicandis VIII saturae versibus 1—9 demonstratum est. Hoc loco vero ita rem instituit poeta, ut enumeret arma responsione quadam adhibita, cum inter se respondeant gladius et scutum, iaculum et galea. Nam ad hostem impugnandum gladius adhibetur et iaculum, ad tuendum corpus scutum et galea.

## 4.

Offendit Leo in nonae saturae versu 5. Iam antea in explanando hoc versu haesitaverunt viri docti, variasque proposuerunt interpretationes. Quo in numero pluribus de loco egit Achaintrius. Qua ratione versus 5 cohaereret cum antecedentibus versibus 3, 4 enucleare conati sunt Weidner et Housmanus, sed eas explanationes probabiles non esse merito Leo notavit. Ipse vero Leo affirmat versum 5 versui 4 ab ipso

---

[1]) Conf. Quint. VIII 5, 1. Sed consuetudo iam tenuit, ut mente concepta sensus vocaremus, lumina autem praecipue in clausulis posita sententias.

Iuvenale ascriptum esse, ea scilicet mente, ut eiecto versu 4 immutato 3 altera loci forma efficeretur. Alteram igitur versus 3 speciem reficiendam esse: 'quid tibi cum vultu qualem deprensus habet cum'.

Nego assentiendum esse Leoni. Nam non liquet, cur oppressurus fuerit Iuvenalis Ravolae exemplum nonae saturae argumento magnopere accommodatum. In comparando cum aliis Naevoli vultu nominatim Iuvenalis affert personas, quibuscum comparat Naevolum. Non igitur est verisimile reiecto Ravolae exemplo poetam allaturum fuisse servulum quendam crustula lambentem. Sed ipsam inspiciamus formam a Leone propositam. Facere non possum quin abhorrere a sermone Iuvenaliano versus tardo impediteque a Leone compositos iudicem. Libenter Leoni concedo versus 3 clausulam a Leone fictam a Iuvenalis dicendi genere non discrepare. Sed universus displicet locus Iuvenalis ingenio indignus. Soluta oratione locum describam: quid tibi est cum vultu, qualem servus habet, qui est deprensus a nobis et verberatus, dum lambit crustula. Adeo confertus quasi sententiis est locus, uti vix possim una complecti comprehensione. Accedit quod universi loci subiectum quod vocatur logicum — servus — non est positum nisi in ea sententia, quae pendet ex sententia principali. Non solet Iuvenalis scribere sententias adeo, ut ita dicam, implicitas. Tum vero quid sibi velint verba: 'cum nos colaphum incutimus' aegre perspici potest. Affirmaverim — concedamus licet Leoni duplicem formam — supervacanea esse haec verba, quoniam antecedit verbum 'deprensus'. Leo forma sua poetam facit Naevoli vultum comparantem cum servi qui est deprensus dum lambit crustula, sicut Ravola deprensus erat, dum Rhodopes lambit inguina. Verba: 'cum nos colaphum incutimus' immerito in textu ponuntur, quoniam antecedit verbum 'deprensus'. Apparet enim duas incommode inter se permiscuisse Leonem sententias, quarum altera explicatur servum deprensum dum lambit crustula vultu insignem esse perturbato, altera consternatum videri servum alapa punitum, quod gustavit crustula. Sed mihi constat utraque sententia plane describi servuli vultum, improspere alteram confundi cum altera. Neque omnino comparanda videtur Naevoli tristis frons cum servi, qui alapa est punitus, perterrito vultu. Quae cum ita sint apparet non coniungendos esse inter se versus 3 et 5.

Non cohaerere versum 5 cum antecedentibus versibus 3, 4 non fugit viros doctos, ideoque suppositum esse putaverunt ⟨Heinrichius, Ribbeckius⟩. Sed minime abhorret a Iuvenalis dicendi ratione. Praeterea genuinum esse versum testis est Servius, qui bis versum affert ⟨Georg. 3, 60; Aen. 7, 115⟩. Neque

praetermittendum est scholiastae testimonium, qui adnotatione versum instruxit. Insertum esse saturae versum cum antecedentibus versibus non coniunctum[1]) non est mirum, frequenter enim Iuvenalis in saturis intercalavit sententias, itaque non habemus, quod hoc loco ea ratione intercalatum esse a poeta versum 5 negemus. Quomodo intelligendus esset versus docuit Friedlaender.

## 5.

Pauca addenda sunt in hoc capite de undecimae saturae versibus 162—170. Versus enim 165, 166, qui in codice P post versum sequuntur 164, in aliquot codicibus non sunt exarati ⟨G, U⟩, in aliis variis exstant locis. Ideo compluribus viris doctis suspecti visi sunt. Delendos censuerunt Heinrichius, Iahnius, alii. Praeterea Ribbeckius[2]) putavit universum locum, qui continetur versibus 165—170 suppositum esse. Contra qui postea ad Iuvenalem studia contulerunt: Buecheler, Friedlaender, Weidner, alii non offendendum esse in loco sibi persuaserunt. Nam versus 165, 166 merito eo exstare loco, quo exarati sunt in codice P, παρενθέσεως vel digressionis ratione a poeta saturae insertos, censuerunt, praesertim cum multis saturarum locis huiusce modi digressiones sermoni inseruisse Iuvenalem constet.

Nuper igitur de loco egit Leo. Iure demonstravit genuinos iudicandos esse versus 165, 166 — nam Iuvenalianae dictionis prae se ferunt indicia — eoque loco saturae inserendos, quo scripti sunt in codice P: nam alio loco non possunt intercalari nisi deleto sententiarum contextu.

Sed sibi persuasit Leo duplicem loci formam statuendam esse. Censet insertis versibus 165, 166 interrumpi contextum sententiarum, quae scriptae sunt versibus 162—164 et 167 ss. Quam ut de versibus proferret opinionem, adductus est putando pari ratione atque Buecheler, Friedlaender, alii verbo ⟨v. 167⟩: 'inritamentum veneris languentis et acres divitis urticae' appositionis forma grammatica subicienda esse voci 'puellae', quae exstat in versu 164. Sed duorum versuum spatio appositionem ab ea voce separari, ad quam sit referenda, tolerari non posse. Itaque duas posuit loci formas: alteram effici versibus 162—166, alteram versibus 162—164, 167—170.

Sed ipse Leo concedit non adesse hoc loco argumentorum similitudinem, quam ipse vocat 'stoffliche Doppelfassung'. Prae-

[1]) c. Guil. Schulz: Quaest. Juv. Herm. XXI p. 182.
[2]) Der echte und der unechte Juvenal p. 113 s.

terea vero demonstrabo non licere versus 165, 166 removere e sententiarum contextu. Nam artissimo sententiarum conexu a Iuvenale ficti sunt versus 165—170. Immerito igitur Buecheler, Friedlaender, Weidner, alii versus 165, 166 distinxerunt ab eis qui sequuntur. Nam non hos versus, sed universum locum, qui continetur versibus 165—170 Iuvenalis παρενθέσεως ratione sermoni inseruit.[1]) Nam postquam versibus enarravit 162—164 domi suae convivam non inventurum esse impudicas saltatrices, deinde versu pergit 171: 'non capit has nugas humilis domus'. Sed inter hos versus exstant versus 165—170 quibus a proposito poeta aberrat describens obscoenas saltationes, quibus divites in conviviis oblectentur. Huiusce modi digressiones frequenter in saturis inveniuntur; exempla contulerunt Schulzius ⟨l. l.⟩ et Friedlaender ⟨ed. ind. s. v. Parenthesen.⟩. Quibus locis is est addendus, qui in Oxoniensi exstat fragmento maiore ⟨v. 7—13⟩.

Versus igitur 165—170 quoniam digressionis ratione sermoni inseruit poeta, et ab iis distinguenda sunt, qui antecedunt, et ab iis qui sequuntur. Quae cum ita sint apparet minime verba ⟨v. 167⟩: 'inritamentum veneris languentis et acres divitis urticae' appositionis forma grammatica subicienda esse sententiae ei, quae scripta est versibus 162—164. Immerito eam denuo Leo protulit opinionem, ideoque in altera loci forma quam statuit ⟨v. 162—164, 167—170⟩ versus 165, 166 removit. Nam versus hi e sententiarum conexu removeri non possunt. Omissis his versibus quid sibi velint versus 168—170 perspicuum non est; cur hoc loco eos inseruerit poeta minime liquet, quoniam sensu paene carent. Censeo neminem fugere posse verba ⟨v. 168⟩: 'maior tamen ista voluptas alterius sexus' referenda esse ad versum 165.[2]) Nam sententiarum quae exstant versibus 165—170 hic est conexus: Quamquam pari ratione et mariti et uxores impudicas puellarum spectant saltationes ⟨v. 165⟩, tamen magis uxorum stimulatur libido. Verbis ergo: 'maior tamen ista voluptas alterius sexus' uxores notantur, quas memorat poeta in versu 165; hoc solo loco 'alterius generis' i. e. feminarum facit mentionem.

Ex eis quae modo explicavi elucet versus 165, 166 removeri non posse, quoniam oppressis his versibus sententiarum deletur conexus. Restat igitur ut explicem unde pendeant verba ⟨v. 167⟩:

---

[1]) c. Guil. Schulz, l. l. p. 190 s.

[2]) c. Schulz. l. l. p. 191 quod vero gravius est illa: 'maior tamen ista voluptas alterius sexus' et quae deinde sequuntur demptis his versibus non solum omni prorsus acumine privantur, sed intelligi vix possunt.

'inritamentum veneris languentis et acres divitis urticae'. Primus quod video ex eis, qui nuper in locum inquisiverunt, Schulzius recte locum explanavit. Nam verba: 'inritamentum veneris languentis et acres divitis urticae' appositionis ratione ei sententiae sunt subiectae quae exstat versibus 165, 166.[1]) Illud enim, quod cum maritis spectant uxores ⟨v. 165⟩, 'quod pudeat narrare aliquem praesentibus ipsis' ⟨uxoribus⟩ — Gaditanae scilicet saltationes supra memoratae — inritamentum dicitur veneris et libidinis urticae. Appositiones, quae non ex voce quadam pendent, sed universae sententiae sunt subiectae nonnullis apud poetas locis inveniuntur. Similem Propertii locum attulit Schulzius ⟨Prop. II, 27, 3⟩ Alia exempla Rothsteinius, qui hunc explanavit locum, contulit ⟨Prop. IV, 11, 27; Verg. Aen. IX, 51/52; Ov. Fast. II, 115⟩. Quoniam vero verba; 'inritamentum veneris — urticae' ex universa pendent sententia, quae versibus exstat 165, 166, iam elucet, cur in versu 168 scriptum sit 'urticae' non 'urticas', quod Ribbeckius maluit, grammaticum mendum in voce 'urticae' subesse suspicatus. Quae cum ita sint neque eiciendos censebimus versus 165, 166, neque alteram quam statuit Leo loci formam ⟨v. 162—166⟩ meliore effectam esse iure concedemus.

Liceat mihi brevem addere adnotationem ad vocis 'divitis' ⟨v. 168⟩ interpretationem spectantem. Ribbeckius, nuper Weidner et Housmanus putaverunt immerito vocem 'divitis' in versu 168 scriptam esse. Sed comparat Iuvenalis convivium, quod domi suae agatur, cum divitum hominum conviviis. Propterea verba scripsit: 'acres divitis urticae', pergens ⟨v. 171⟩: 'non capit has nugas humilis domus'.

---

[1]) Idem iudicium de his verbis fecisse Owenium ex verborum apparet distinctione, quam adhibuit in editione sua.

Caput III.

# De lacunis et interpolationibus.

Proposuimus nobis in hoc capite agere de lacunis et interpolationibus, quae in saturis videntur subesse. Sed minime in animo est omnes eos locos circumspicere pluribusque tractare, qui nuper suspecti visi sunt viris doctis. Nam per huius libelli angustias ingeniique terminos mihi non licet omnes eas difficultates expedire, quae vel re vera adsunt in saturis, vel quae videntur. Itaque paucos eligam locos, de quibus pluribus disserendum videtur.

## 1. De lacunis.

Inventis Oxoniensibus additamentis haud inutile vel paene necessarium videtur circumspicere, num praeter eas lacunas, quae novis nunc versibus sunt expletae aliis quoque saturarum locis hiantibus lacunis sententiarum conexus sit interruptus. Quoniam vero satis notum est in argumentis, quae sibi proposuit explicanda enarrandis minime sibi constare Iuvenalem, sed sententiarum laxissima compositione creberrime a proposito aberrare, lacunas non statuendas esse censeo nisi eis locis, ubi adeo invalidus est sententiarum contextus, ut dicta insequentia minime conveniant ad ea quae antecedunt.

Complures lacunas sibi visus est indagasse Housmanus ⟨conf. ed.⟩. Sed consideratis eis locis quos notavit ⟨I, v. 131—;[1]) v. 156—; II v. 169—; VI v. 585—; IX v. 134—; XIV v. 229—; XVI v. 2—⟩ mihi persuasi uno solo loco re vera lacunam exstare. Itaque statim respiciendi sunt IX saturae versus 130 ss.

Lacunam hoc loco ponendam esse Ribbeckius, Weidner, Housmanus consentiunt et ipse lacuna hiante sententiarum conexum deletum esse mihi persuasi. Post versum 134 in codice P scriptus exstat versus: 'gratus eris, tu tantum erucis imprime dentem'. Friedlaender subditicium esse hunc versum censet. Buecheleri

[1]) De loco egerunt: Hartmannus. De Iuv. inventione. Diss. Basil. 1908 p. 26. — Friedl. adn. ad v. v. 127—131.

est opinio versum ex diversa versus 133 lectione ortum esse: 'alter amator gratus erit'. Vahlenus antecedentibus versibus addendum putavit. Contra Leo duplicis formae sibi visus est indagasse vestigia. Putat enim versus 130—134 alteram loci formam esse, alteram versum 130 coniunctum cum versu Pithoeano. Sed valde sum dubius, a hac ratione locus sanetur. Quam dubitationem mihi moverunt insequentes versus, quibus continetur Naevoli responsum, quocum neutra forma a Leone posita congruit. Respondet enim Naevolus: 'haec exempla para felicibus' et 'contentus sum, si venter inguine pascitur'. Haec dicta quomodo referenda essent ad consilium Naevolo versibus 130—134 datum ab amico, nemo adhuc satis explicavit.[1]) Haud dubie ex his verbis colligendum videtur Iuvenalem versibus quibusdam deletis qui antecedebant Naevolo lautitias proposuisse divitiasque, quas hic ne speraverat quidem.

Primam respiciamus versuum 130, 134 a formam a Leone statutam. His solis verbis amicum respondere Naevolo quid sit agendum 'post damnum temporis et spes deceptas' interroganti minime verisimile est. Nam his versibus nihil est dictum nisi pathicos homines non defuturos esse Naevolo; quapropter non desinat amatoria edere. Nequaquam vero illud conquestus erat Naevolus, sed pathicorum ingratia graviter affectus, ut sibi paret parvolam rem familiarem, unde commode possit vivere, spectat. Quod apparet ex eius responso: 'at mea Clotho et Lachesis gaudent, si pascitur inguine venter'. Praeterea quid sibi velint haec 'exempla' quae dicit Naevolus non liquet. Neque quid velint verba 'gratus eris' in hac loci forma quam effecit Leo satis perspicuum est. Nam significare Iuvenalem his verbis non defuturos esse Naevolo homines pathicos, quibus gratum praebeat animum non est putandum. Hoc enim responsum Naevolo datum neque cum Naevoli narratione pathici amici querentis ingratiam neque cum eis dictis quae sequunter bene convenit. Censeo haec verba non alio sensu intelligenda esse atque: acceptus eris pathicis amicis. — Tum vero Leonis haec versuum 130, 134 a forma tanta est brevitate, ut comparata cum reliquis saturae partibus Naevolique responso vix possit tolerari.

Alteram formam praebent codices. Paulo est effusior, neque vero ea recepta in textum removetur dubitatio. Eaedem difficultates occurrunt atqua supra, sed nova quaedam accedit. Quaenam enim est 'altera' illa 'maior spes'? Scholiasta explicat:

---

[1]) c. Leo l. l. p. 615. Die Antwort v. 135: 'haec exempla para' hat kein rechtes Substrat, da ein glänzendes Wohlleben vorher nicht ausgemalt ist.

'multos imberbes habes tibi crescentes'. Nego ad alteram Leonis formam meliore iure hanc interpretationem referri posse quam ad hanc, nam quid hoc loco interest inter eos, 'qui digito scalpunt uno caput' et imberbes a scholiasta allatos? Utrique sunt pathici. Sed censeo verba: 'altera maior spes superest' referenda esse ad versus quosdam deletos. Adducor ergo, ut lacuna depravari textum existimem ⟨Conf. Ribbeck: Der echte und der unechte Iuvenal p. 143⟩. Ea sola ratione loci difficultates explicantur, de versu Pithoeano 134 a recte potest iudicari. Oxoniensibus fragmentis repertis nemo consimilem hanc textus condicionem mirabitur. Incipit lacuna inde a voce 'superest'. Reliqua versus pars excidit; parique modo versus aliquot sequentes videntur deleti esse. Versum vero Pithoeanum 134 a totius loci effecisse conclusionem mihi persuasi. Apparet consimilem esse locum eius sextae saturae loci, qui continetur versibus 346—348. Sicut ibi quinque Iuvenalis versus ad tres coartati exstant in codicibus, hoc loco non ab ipso Iuvenale effecta est recensio, quae invenitur in libris.

## 2. De interpolationibus.

Pauca hoc loco addam de difficillima versuum qui subditicii putantur quaestione. Housmanus viginti fere versus iudicavit spurios, similique modo etiam Leo ⟨Herm. 1910 p. 43 ss.: Zum Text des Persius und Juvenal⟩ saturas non plane interpolationibus carere censet ⟨X 54, XIV 1 a, 229⟩.

Sed mihi constat omnes fere eos versus, quos notaverunt Housmanus et Leo, genuinos esse. Nam ii soli versus suppositi sunt putandi, quos a Iuvenale conceptos non esse certis apparet argumentis non ii, qui eis locis ubi exstant ad rem de qua agit poeta enarrandam non videntur necessarii.[1]) Nam satis notum est Iuvenalem copiosum latumque dicendi genus adhibuisse, crebro aberrasse a proposito, παρενθέσεις intercalasse, multis locis versus inseruisse, quibus res, quas enarravit, breviter complectitur, sententiarum quasi faciens summam. De ea Iuvenalis scribenti ratione egregie egit Vahlenus. ⟨Op. Ac. I p. 227 ss., conf. p. 227: . . . 'qui saepe in media narratione insistit colligens superiora et insequentia praeparans'.⟩ Censeo igitur ea ratione intelligendos esse versus quos delendos censet Housmanus: III 113; V 66 ⟨c. Vahlen. l. l. p. 232⟩; VI 188 ⟨c. Heinrich. et Friedl.

[1]) Ea ratione inserti videntur versus, quos Leo in editione sua putat delendos esse: XIV 208/9; XII 50/1 (versus 48—51 saturae intercalavit poeta aberrans ab enarratione sua. Offendit Leo in voce: 'quidam' sed conf. XIV 96, XV 107).

ad l.⟩; VIII 258; XI 99 ⟨c. Vahlen. l. l. p. 236⟩; XI 161; XII 50, 51; XIII 166; XIV 208, 209. Praeterea ea argumenta, quae attulerunt Housmanus, alii ad spurios iudicandos versus VII 51, 52 ⟨c. Vahlen. l. l. p. 237, Leo ed. ad l.⟩, X 365/6 ⟨versus delendos censet Leo in editione⟩, XIII 90 sufficere nego. De versibus VIII 124, XI 165/6 supra disserui.

De versu VI 126 Housmanus iudicat: 'versus Iuvenale non indignus, sed vix necessarius'. Multi viri docti spurium censuerunt versum esse, genuinum alii ⟨Achaintrius, Weidner, Owenius⟩. Versus quoniam non exstat in codicibus P et $\omega$, sane suspectus videtur ⟨Conf. Buecheler, Rh. M. 54 p. 488⟩. Sed puto suppositum esse versum certis argumentis non posse probari. Nam Iuvenalem cum non dubitaverit versus scribere 124 et 129 et versum 126 concepisse probabile videtur. Versus 126 bene post eum versum locum obtinet qui antecedit; versu enim 125 poeta ad enarrandam eam rem, de qua agit versu 126 quasi adgreditur. Postquam intraverunt viri cellam et aes solverunt cum Messalina concumbunt. Censet Leo rem, quae versu 126 describitur, a Iuvenale afferri versu 130. Sed versuum 126, 130 argumenta magnopere inter se differunt. Postquam poeta versu 126 memoravit Messalinam cum multis viris coire, versu 130 nihilo secius non expleri eius libidinem explicat. Quae cum ita sint versum 126 ab ipso Iuvenale scriptum esse non negaverim.

Tertiae saturae versus 281 quin sit spurius dubitari non posse Housmanus sibi persuasit. Conf. ed. praef. p. XXXV. Vehementer Vahlenum impugnat, qui versum Iuvenali vindicavit ⟨l. l. p. 236⟩. Sed versum ab ipso Iuvenale factum esse mihi constat. Verbis enim: 'ergo non aliter poterit dormire, quibusdam somnum rixa facit' sententiarum quae continentur versibus 278—280 poeta facit summam explicans huiusce modi homines petulantes non posse dormire, nisi antea fecerint rixam cum aliquo. Sed difficultas quaedam in voce inest 'ergo'. Frequenter Iuvenalis in saturis hanc vocem adhibuit, sed ea ratione, ut altera vocis syllaba brevis esset. Solo hoc loco apud Iuvenalem voce 'ergo' spondeus efficitur. Sed ob eam causam spurium non iudicaverim versum. Conf. Eskuche apud Friedl. praef. p. 67; Friedl. adn. ad l.

Iam ii considerandi sunt versus, quos delendos esse censet Leo in Hermae commentatione. Spurium iudicat X sat. versum 54.[1]) Offendit in eo versu, quod sibi persuasit verba: 'fas est', quae exstant in versu 55 ei repugnare sententiae, quam praebent versus 54/55 sicut exarati sunt in codicibus. Praeterea vocem

[1]) Conf. Madvig, Op. II p. 200; Buecheler, Rh. M. 34 p. 355; Vahlen l. l. p. 234.

'supervacua' immerito in versu 54 legi, nam non supervacuas res Iuvenalem in satura memorare, quas votis homines impetrent, sed perniciosas. Itaque in editione sua uncis versum circumscripsit, versui 55 exclamationis signum ascripsit. Mihi genuinus esse versus 54 videtur. Neque est distinguendus ab insequente versu 55, sed una his versibus efficitur sententia. Enuntiationis ratione versus a Iuvenale scriptos esse bene Heinrichius, Achaintrius, Friedlaender intellexerunt, nec non qui proxime explanavit locum: Bickel.[1]) Nam non aliter de his versibus iudicandum est atque de iis, quos saturis inseruisse Iuvenalem 'in media narratione insistentem, colligentem superiora et insequentia praeparantem Vahlenus docuit'.

Versus enim 28—53 eo differunt a reliqua Iuvenalis narratione, quod non vota precesque his versibus poeta enumerat, sed verba facit de Democriti prudentia sapientiaque, qua hic sit adductus, ut contemneret vulgi studia. Omissis igitur versibus 28—53 egregie versus 56 ss. subiunguntur versibus 1—27. Sed versus quoque 28—53 etsi non prorsus videntur necessarii, tamen saturae argumento bene sunt accommodati. Quamquam enim Iuvenalis non aperte his versibus memorat hominum vota precesque, tamen disserit de vanis eorum inanibusque i. e. supervacuis studiis. Quod ex versibus elucet 35—46 quibus vana describitur praetoris pompa. Quae cum ita sint censeo Iuvenalem cum scripsisset versuum 28—53 digressionem, commotum esse, ut in versibus 54/55 praeter perniciosa vota memoraret supervacua. Versus igitur 54/55 ex eis pendent dictis, quae antecedunt; sed etiam transitio iis efficitur ad insequentem disputationem. Sed etiam in eis saturae partibus, quae post versus 54/55 exstant, obiter Iuvenalis supervacua tangit vota. Versibus enim 168—173 Alexandri enarrat res gestas, neque vero explicat perniciosum fuisse Alexandro domandi orbis terrarum votum, sed inutile et supervacuum. Quod ex verbis elucet ⟨v. 172/73⟩: 'sarcophago contentus erit, mors sola fatetur, quantula sint hominum corpuscula'. Ergo ei nihil profuit orbem subegisse, eadem eius fuit sors atque reliquorum mortalium nullis rebus gestis insignium. — Supervacua denique omnino esse hominum vota versibus 346—349 Iuvenalis explicat. Pluribus de hac re egit Bickel l. l.

Immerito Leo in verbis offendit 'fas est'. Quomodo haec verba intelligenda essent dixerunt Achaintrius, Heinrichius, Friedlaender, Bickel.[2]) Simili notione verba 'fas est' adhibuit Iuvenalis I 58; VI 329, 628.

---

[1]) Iuvenaliana, Rh. M. 1912 p. 144—146.

[2]) l. l.: 'sed satirice locutionem adhibuit auctor saturae', qui pari modo

Neque propterea versus 54 spurius iudicandus est, quod metrico laborat mendo ⟨c. Bickel. l. l.⟩, nam eodem mendo depravatus est versus VIII 105. Sed qua ratione sanandus sit versus hoc loco longum est inquirere.

Delendum esse censet Leo XIV. sat. v. 229. Contra Buecheler ⟨Rh. M. 43 p. 295⟩ versum genuinum esse sibi persuasit. Offendit Leo in verbis 'per fraudes'. Sed censeo cum verbis 'per fraudes' comparanda esse ea dicta, quae Iuvenalis versibus affert 237/38: . . . 'et spoliare doces et circumscribere et omni crimine divitias adquirere'.

Contra re vera non defuisse, qui saturas deformarent inserendis suppositis versibus eo apparet versu, qui in codice P post XIV sat. v. 1 est insertus: 'et quod maiorum vitia sequiturque minores'. Versus hic intelligi non potest nisi additis eis glossis, quibus singula verba sunt superscripta: et ⟨eo⟩ quod maiorum ⟨sunt⟩ vitia, ⟨fama⟩ sequiturque minores. Versum ab ipso Iuvenale conceptum, sed corruptum esse minime verisimile est, quoniam arte inter te cohaerent saturae versus 1/2. Versum 1 a confictum esse ex saturae titulo pleniore merito Buecheler, Leo, Housmanus consentire videntur.

Iam restat ut verba faciam de nonae saturae versibus 118 ad 123 quorum nemo adhuc proposuit explicationem satis probabilem. Versus sicut exarati sunt in codicibus a Iuvenale scriptos non esse apparet. Nam duae in codicibus exstant loci formae, alteram servavit codex P, altera in reliquis codicibus scripta est. Sed neutra per se plane perspicua est, cum tertius Pithoeanae formae versus ⟨v. 120⟩ careat sensu, in altera forma versus in Pithoeana secundo loco positus ⟨v. 119⟩ post versum 123 exstet, ita scriptus, ut minime cum antecedentibus cohaereat versibus. Itaque non solum interpretatione sed etiam emendatione nobis opus est locum explanare conantibus.

Variis rationibus viri docti locum sanare conati sunt. Quorum pars sibi persuasit eam versuum compositionem, quae exstat in codice P, esse iustam. Versum enim 120 Lachmannus sibi visus est emendasse scribendo pro 'causis' 'cave sis'. Probaverunt hanc coniecturam Weidner, Friedlaender, Owenius nec non Vahlenus, qui pluribus de loco egit ⟨l. l. p. 250—253⟩. Contra aliis ⟨Heinrichio, Buechelero, Housmano⟩ magis placuit altera forma, quae in reliquis libris exstat; ideoque delendum esse censuerunt versum 119, quoniam idem fere hoc versu explicatur

satirice dixit VI 628: 'iam iam privignum occidere fas est'. I 58: 'cum fas esse putet curam sperare cohortis'.

atque versu 120. Ribbeckius versus delevit 118—124. Teuffelius[1]) duplicem statuit formam.

Simili ratione atque Teuffelius Leo difficultates, quae insunt in versibus removeri posse sibi persuasit. Sed locus hic plane differt a reliquis locis, ubi duplicem formam statuit vir doctus. Eis enim locis graves librorum corruptelae non adsunt, sed hic locus quin sit corruptus dubitari non potest. Nonam praeterea saturam corruptelis laborare versibus 130—134 a apparet. Persuasum ergo habeo hoc loco non duas ponendas esse formas, quarum ipse poeta statuendus sit auctor, sed eam formam, quae extat in codicibus nota *ω* designatis ex ea forma effectam esse, cuius exemplum est codex P. Censeo auctorem formae eius, quae exstat in his libris, cum non intellegeret versum 120 cum antecedentibus versibus non cohaerentem, versum 119 qui antecedit eiecisse, in versu 118 verba 'tunc est' commutasse in 'tunc his'.

Immerito Leo in ea forma, quam versibus censet effici 118/19, versus omisit qui sequuntur 121—123. Nam in ea saturae parte, quae continetur versibus 102—123, in universum Iuvenalis disserit solere servos dominorum secreta evulgare. Qui servorum rumores ut possint contemni recte vivendum esse hortatur ⟨v. 118—120⟩. Versibus vero 121—123 universae huius saturae partis efficitur conclusio, ideoque non licet eos omittere. Nam his versibus Iuvenalis explicat deteriores quam servos garrulitate molestos dominos esse, qui cum non recte vivant, servis materiem praebeant rumorum.

Nec magis altera placet forma quam Leo posuit. Nam etsi in hac forma ⟨v. 118, 120—123⟩ versus adsunt in altera immerito omissi, tamen ne in hac quidem magnae desunt difficultates. Graviter enim offendo in verbis: 'his praecipue causis ut — contemnas'. Valde miror causas memorari, unam afferri causam: 'ut linguas mancipiorum contemnas'. Ipse Leo concedit se explicare non posse unde orta sit lectio 'his causis'. Itaque scribendum esse coniecit: 'tum ista praecipue causa'. Sed probabilem esse hanc coniecturam nego. Concedamus licet verba: 'tum ista praecipue causa' a Iuvenale scripta esse; quomodo acciderit, ut depravata lectio efficeretur: 'his causis' equidem non intelligo. Sed Iuvenalem scripsisse versus 118 clausulam: 'tum ista' Leoni non assentior; elisiones enim adeo durae, in versuum clausulis positae, in saturis non inveniuntur.

Quae cum ita sint non duae ponendae sunt formae, sed inquirendum est, quid iudicandum sit de versibus 119, 120. Horum versuum difficultates expedivisse sibi visi sunt multi viri

[1]) Studien und Charakteristiken zur Literaturgeschichte p. 431—434.

docti scribendo in versu 120 pro 'causis' 'cave sis', cum Lachmanno facientes. Contra iure Leo edocuit eam emendationem repellendam esse. Nam neque Friedlaender neque Vahlenus, quibus Lachmanni coniecturam iustam esse constat, loci proposuerunt interpretationes satis probabiles. Quid sibi velint verba: 'cave sis ut contemnas', quoniam antecedit versus 119 ne Vahleni quidem diligenti inquisitione eluxit. Nam nimia subtilitate usus Vahlenus suspicatus est verbum 'contemnere' a Iuvenale diversa notione positum esse in versu 119 atque in versu 120. Neque magis probabilis est ea versus 120 scriptura, quae apud Friedlaenderum exstat. Nam Iuvenalem, postquam explicavit idcirco recte vivendum esse, ut servorum rumores possent contemni, alterum hoc afferre consilium: 'cave sis, ut linguas mancipiorum contemnas' minime credibile est. Quae cum ita sint mihi constat ea ratione, qua conati sunt locum emendare Friedlaender, Vahlenus, alii Iuvenalis verba non posse restitui. Nam conglutinasse potius videntur sententias, quam effecisse sententiarum compositionem perspicuam et evidentem. Neque vero iis assentiendum erit, qui deleverunt versum 119 confisi rectam esse eam formam, quae exstat in libris nota *ω* designatis. Nam eam stare non posse formam explicavi.

Quae cum ita sint nisi alia demonstretur emendationis via, in difficillimo loco desperandum videtur sanando. Inquisivi igitur, quoniam versus 120 sicut exaratus est in P, caret sensu, num lacuna sit statuenda ante versum 120, qua versuum 119 et 120 sit deletus conexus. Sed lacuna non videtur ponenda, nam quid explicet poeta versibus 118—123 plane perspicuum est, nec videtur sententia quaedam intercidisse. Contra graviter offendendum est in verbis: 'his causis ut — contemnas'. Nam idem his verbis explicari atque versu 119 manifestum est. Sed comparando haec verba cum versu 119 elucet verba: 'idcirco ut possis linguam contemnere servi' ad explicandam eam rem, de qua agit poeta, multo esse aptiora quam verba: 'his causis ut — contemnas'. Nam recte esse vivendum poeta praecipit, ut servorum rumores possint contemni, non ut contemnantur. Praeterea immerito causas memorari, unam afferri causam demonstravi. Itaque mihi persuaserim verba: 'his causis ut — contemnas' locum in satura obtinere non posse. Censeam haec verba saturae esse inserta, deprompta ex interpretatione versui 119 ascripta. Verba vero 'his causis' referenda esse ad ea, quae Iuvenalis versibus enarravit 102—117 puto. Denique saturae intrusa esse verba: 'his causis ut — contemnas' non ita est mirandum, nam in versibus fere 100—134 a multae adsunt corruptelae, compluribusque versibus glossae sunt superscriptae.

Sicut post XIV sat. v. 1 versus est insertus, qui caret sensu, simili modo hoc loco verba quae delenda esse censemus inserta videntur. Omittenda esse verba vel ex scholio apparere videtur versui 118 ascripto: 'propter plurima quidem recte vivendum est, sed maxime propter servos' etc. Eo enim scholio Vahleni confirmatur sententia, qua proposuit vocem 'praecipue' ⟨v. 120⟩ referendam esse ad antecedentis versus sententiam. Restat ut de duabus corruptelis, quae insunt in versibus 118 et 121 pauca disseram. Delendum esse in versu 118 verbi 'est' iterationem verisimile est. At difficultas quaedam inest in versu 121. Nam in hoc versu pro lectione 'nec' quae exstat in egregio codice P prima manu exarata in reliquis libris scriptum est 'nam'. Equidem praefero 'nec'. Disserit enim Iuvenalis: mali servi lingua ne pessima quidem est pars. Sed malo hoc servo deterior est dominus, cui servorum rumores sunt metuendi. Itaque etsi libenter concedo me non certam loci emendationem, sed coniecturam afferre, tamen ita versus proponam describendos:

vivendum recte cum propter plurima tunc est
idcirco ut possis linguam contemnere servi
praecipue. nec lingua mali pars pessima servi,
deterior tamen hic, qui liber non erit illis,
quorum animas et farre suo custodit et aere.

---

Paucis quae effecisse mihi videor comprehendam: Duplices in saturis non exstare formas locorum quos notavit Leo interpretatione censeo elucere. At graviores in saturarum contextu non deesse corruptelas exempla quaedam ex sexta et nona satura deprompta demonstrant.

Typis expressit Robertus Noske Bornensis.

# Vita.

Natus sum Rudolfus Antonius Clauß a. 1888 ante diem IV. Kal. Oct. in oppido Chemnitz parentibus Paulo Antonio, qui iudicandi munere ibi fungitur, et Anna e gente Wilde. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum imbutus rudimentis patrii Chemnitiensis gymnasii per novem annos usus sum disciplina. Tum scientiarum exploratione facta dignus visus sum, qui ad altiora admitterer studia. Itaque in academiam discessi Lipsiensem, ut studiis me darem philologicis, historicis. Docuerunt me viri docti Barth, Bethe, Brandenburg, Brugmann, Doren, Gardthausen, M. Heinze †, R. Heinze, Hirt, Jungmann, Koetzschke, Lamprecht, Lipps, Lipsius, Martini, Meister, Salomon, Scholz, Seeliger, Studniczka, Volkelt, Windscheid †, Wilcken, Witkowski, Wundt. Ad exercitationes historicas me admiserunt Salomon, Scholz, Wilcken. Proseminariis philologicis interfui Bethii, Heinzii, Meisteri. Seminarii philologici per annum fui sodalis moderantibus Bethio, Heinzio, Lipsio.

Quibus praeceptoribus omnibus gratam servabo memoriam; maximas vero gratias habeo Ricardo Heinze et Iusto Lipsio, qui in hac commentatione suscipienda et perficienda benigne consilio me et auxilio adiuverunt.

Iam absoluto fere opusculo morbo correptus sum longinquo. Itaque serius quam speraveram libellum mihi licuit in lucem emittere.

PA 6448 Z5C5
Clauss, Rudolf
Quaestiones criticae Juvenalianae

PLEASE DO NOT REMOVE
SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO
LIBRARY